IESV CHRISTI AN. 643.

THEODORI AN. 2.

CONSTANTIS AN. 2.

I. CRVCIS POTENTIA.

ANno Christi sexcentesimo quadragesimo tertio, Indictionis primæ, Constantis Imperatoris secundo (vt habent Græcorum Annales) Haumar Princeps Saracenorum erigere studens templum Hierosolymitanum, cum ædificium cœptum sæpius corrueret, Iudæi causam rogati, asseruerunt id accidere virtute Crucis iuxta positæ. Itaque Saraceni Crucem quæ templo montis Oliuarum imposita erat, deposuerunt; sicque demum ædificia ipsorum firmata sunt. Ea vero res Christiani nominis inimicis occasionem præbuit, multas vbique Cruces deturbandi. Hæc ex Theophane. Addit autem Guillelmus *a* Tyrius, illud templum, postquam iuxta conceptum, eleganti forma & opere feliciter consummatum est, ab eodem Principe multis & infinitis ditatum fuisse possessionibus, ad conseruanda perpetuo eiusdem sarta tecta, & continuanda luminaria. Illud vero plane mirandũ, cum tot essent insignia Hierosolymis Christianorum templa, nullum eorum vendicare sibi ausos fuisse dominantes impios Saracenos, sed libera omnia prioribus vsibus iisdem Christianis reliquisse; eademque vt antea frequentata fuisse à totius terrarum orbis Fdelibus, prout inferius videbitur.

a Guil. Tyr. de Bel. sacr. lib. 1. cap. 2.

II. EXPILATORES PATRIARCHII LATER. MALE PERIVNT.

Inter hæc in Italia *Mauritius* Chartularius, quem superius vidimus expilasse Patriarchium Lateranense, Romæ in tyrannum erumpens, misso per Isacium Exarchum aduersus eum Dono Magistro militum, ab omnibus derelictus confugit in ecclesiam Beatæ Mariæ ad Præsepe: sed inde extractus, missusque Rauennam, capite truncatus est. Paulo vero post idem Isacius, qui & ipse Patriarchium deprædatus fuerat, percussus diuino ictu interiit. Hæc Anastasius in Theodoro. Ita vltor Deus voluit posteris relinquere amplissimis notis declaratam vindictam, quam meruerunt qui manus sacrilegas inferunt in sancta.

III. *b Ext. in Concil. Lateran. sub Mart. Secret. 2.* CONFVGIVM ORTHODOX. ROMAM.

Huius item anni Indictione prima, scripta est ab Episcopis Cypri in *Concilio* congregatis, Synodalis epistola *b* ad Theodorum Romanum Pontificem, (quem *Patrem Patrum*, & *Vniuersalem Papam* nominant) de Monothelitarum hæresi ab ipsis damnata. Quo eodem tempore Stephanus Dorensis Episcopus. à Sophronio Hierosolymitano olim iussus, ac denuo post eius obitum à Catholicis Palæstinæ Antistitibus delegatus, Romã se contulit pro Ecclesia Hierosolymitana, quam inuaserant pseudoepiscopi, iidemque coniuncti Paulo Constantinopolitano hæreticorum acerrimo fautori. Qui quidem Stephanus à Theodoro Papa consecutus est Apostolicæ Sedis in illis partibus vicariam præfecturam, qua illorum omnium caput Sergium Ioppensem Episcopum intrusum in sedem Hierosolymitanam condemnaret, & ab eo ordinatos Episcopos gradu depositos in ordinem redigeret, quod & præstitit. Hæc enim constant ex libello eiusdem Stephani oblato postea Martino Papæ in Concilio Lateranensi. Ex quibus & videas permisisse Deum singulis quibusque sæculis exagitari diuersarum prouinciarum Episcopos, quo assiduis rerum gestarum exemplis innotescerent, nullum aliud esse confugium aduersus ingruentes hæreticos, quam ad Apostolicam Sedem Romanam, ceu diuinum asylum, in quo posset quis auxilium experiri.

STEPH. VICARIVS APOST. SEDIS IN ORIENTE.

IESV CHRISTI AN. 644.

THEODORI AN. 3.

CONSTANTIS AN. 3.

I. REX SIGEBERTVS FIT MONACHVS.

ANno Christi sexcentesimo quadragesimo quarto, Indictione secunda, in Britannia admodum propagata est Christiana fides per *Furseum* Hibernum. Et Sigebertus Anglorum Orientalium Rex, relicto regno cognato suo, monasticam vitam professus, à Pagano Merciorum Rege Penda occisus est. Hæc fusius Beda *a*.

a Bed. lib. 3. cap. 4.

II. DAGOBERTI REG. MVNIFICENTIA ERGA ECCLESIAS.

Hoc eodem anno, quo Dagoberti Francorum Regis decimusquartus inchoatur, idem Rex ominibus circumpositis gentibus nationibusque sibi subiugatis, vt se gratum cœlestibus in se supra modum fluentibus beneficiis demonstraret, conuocatis filiis ac cunctis regni sui primoribus, vniuersas pene Galliæ Ecclesias patrimonii sui hæredes instituit; singulis multa dona largitus, tam in satisfactionem malorum quæ hactenus gesserat, quam vt post suum obitum pro requie animæ suæ sacrificium vbique ter in hebdomada offerretur: simulque Sigebertum ac Hludouicum filios suos eodem die Reges constituit. quæ omnia pluribus prosequitur Aimoinus *b*.

b Aimoi. lib. 4. c. 30.

IESV CHRISTI AN. 645.

THEODORI AN. 4.

CONSTANTIS AN. 4.

I. DISPVTATIO MAXIMI ORTHOD. CVM PYRRHO MONOTHEL.

ANno Christi sexcentesimo quadragesimo quinto, Indictione tertia, habita est in Africa famosa illa de fide Catholica DISPVTATIO inter Pyrrhum Constantinopolitanum Episcopum extorrem, eumdemque hæreticum Monothelitam, & Maximum Constantinopolitanum Abbatem Orthodoxum. Etenim vbi Pyrrhus in Africam peruenisset, hæresis suæ semina vbique iaciens, aduersantem sibi maxime habuit Maximum, quem iam antea in eamdem prouinciam accessisse vidimus. Vnde exigentibus Episcopis Africanis, ipsoque prouinciæ Præfecto Gregorio Patricio, conuentum est vt iisdem præsentibus publica fieret inter eos de publicis controuersiis disputatio: quam hoc anno contigisse, nempe Indictione tertia mense Iulio, ipse titulus Disputationi præfixus edocet. Extat enim ipsa eadem *a* prout à Notariis tunc excepta fuit, conseruata integra vna cum aliis pluribus eiusdem Maximi lucubrationibus atque epistolis, in tribus antiquitus scriptis codicibus quos Bibliotheca Vaticana *b* custodit. Finis autem disputationis fuit, vt Pyrrhus erroris sui conuictus, pœnitens recantarit palinodiam; Romamque accedens, oblato fidei Catholicæ libello Theodoro Papæ, receptus sit vna cum titulo Patriarchatus in Ecclesiam Catholicam, eidemque omnia necessaria Ecclesiæ Romanæ sumptibus honorifice subministrata. Hæc enim præter Acta eiusdem Disputationis, testantur pariter ex Græcis Theophanes & Photius, ex Latinis Anastasius Bibliothecarius: constantque insuper ex aliis Actis publicis Constantinopoli habitis, cum Martinus Papa ibidem in vinculis constrictus teneretur; vbi etiam refellitur calumnia, qua hæretici eludere conantes eiusmodi à Pyrrho factam erroris sui abiurationem, dixerunt ipsam vi & tormentis ab eo extortam esse.

a Recitat illam integrã Baron. Graec. & Latine Annal. Tom. VIII. hoc an. sine in Append. eiusdem Tomi.
b Num. 335. 336. 337. PYRRHVS RECANTAT PALINODIAM, *c Ens. in ep. 16 Mart. Pap.*

II. APOLOGIA MAXIMI.

Sed & cum gloria Maximi ex publica illa disputatione vbique propagata esset, cœperunt eum omnes consulere. Extat *d* enim eiusdem ad Nicandrum Episcopum responsio de dogmatibus Orthodoxis, & aliæ ad diuersos. Qui & aliquando in crimen à Catholicis vocatus; quod Pyrrhum laudasset dum adhuc hæreticus esset, & quod tres in Christo voluntates asseruisset; duas secundum duas ipsius naturas, tertiam vero secundum hypostaticam vnionem, opus habuit apologiam texere ad Siciliæ monachos, à quibus de his admonitus fuisset. Quomodo vero sanctissimo viro, ob defensionem fidei Catholicæ gloriose contigerit obire martyrium suo loco dicturi sumus.

d In cadd. Vatic. vbi sup.

III.

Hoc insuper anno, qui numeratur quartus Constantis Imperatoris, Haumar Saracenorum Princeps, qui Hierosolymam ceperat, Crucesque deposuerat; tulit sui sceleris pœnam, occisus per fraudem à quodam Persa. Cui substitutus fuit Hoamen eius cognatus. Hæc ex Theophane.

IESV CHRISTI AN. 646.

THEODORI AN. 5.

CONSTANTIS AN. 5.

I. ANno Christi sexcentesimo quadragesimo sexto, Indictione quarta, quatuor Primates Africani in singulis sibi subiectis prouinciis, (nempe Byzacena, Numidia, Mauritania, & Proconsulari) *Synodos* conuocarunt, ad confirmanda Catholica dogmata, quæ vidissent anno superiori tam valide à Maximo propugnata. Extant enim eorumdem Conciliorum monumenta, recitata in Lateranensi *a* sub Martino Papa; videlicet Synodalis epistola, à tribus simul ipsorum, nempe Byzaceno, Numidico, & Mauritano, ad Theodorum Romanum pontificem) quem *Patrem Patrum, & Summum omnium Præsulum Pontificem* appellant) scripta ea occasione, quod cum iidem Patres Constantinopolim essent legationem, ad Paulum eius ciuitatis Episcopum Monothelitarum principem commonendum, missuri, de ea re prius ipsum Theodorum certiorem reddere voluerunt, quod (vt aiunt) *antiquis regulis sancitum esset, vt quicquid quamvis in remotis vel in longinquo positis ageretur prouinciis, non prius tractandum esset, nisi ad notitiam almæ Sedis Apostolicæ fuisset deductum, vt eius auctoritate iusta quæ fuisset pronunciatio firmaretur, indeque sumerent ceteræ Ecclesiæ, velut de natali suo fonte, prædicationis exordium, & per diuersas totius mundi regiones puritatis incorruptæ manarent fidei sacramenta salutis.* Hac igitur ratione, & quod Gregorii Præsidis tyrannide (cuius etiam hoc anno Constantis Imp. quinto meminerunt Annales Græcorum) commercium Africanorum cum Orientalibus fuisset penitus interclusum ipsique etiam Episcopi in suspicionem coniurationis cum Gregorio adducti à maleuolis essent apud Imperatorem: miserunt iidem Patres Romam ad Theodorum Pontificem literas, quibus petierunt vt sua ad Paulum scripta per Apostolicæ Sedis Responsales ei redderentur, rogaruntque insuper, vt nisi idem emendaret errorem, ab ipso Romano Pontifice excommunicationis sententia damnaretur. Non tamen extant ipsæ eorumdem literæ ad Paulum scriptæ; sed tantum, quas *b* separatim Patres Concilii Carthaginiensis Proconsularis prouinciæ ad ipsum miserunt; vna cum aliis Synodi Byzacenæ, eodem tempore ad Imperatorem eadem de re conscriptæ. Quod autem in nullo dictorum Conciliorum reperiatur nominatus Episcopus Carthaginiensis; id inde accidisse scias, quod is qui tunc temporis præerat ei Ecclesiæ, nomine Fortunatus, siue Fortunius, communicaret *c* Paulo Constantinopolitano. Eo vero defuncto, siue è gradu deposito, subrogatus est in eius locum hac eadem Indictione quarta Victor: qui confestim more maiorum fidei suæ professionem *d* misit ad Romanum Pontificem.

a *Syn. Lat. sub Mart. Pap. Secret. 2.*

SEDIS APOST. SVMMA AVCTORITAS.

b *Ext. in eodem Secret. 2. vna cum epistola ad Imp.*

c *Patet ex Act. 14. Sext. Syn.*

d *Ext. in eod. Secret. 2.*

II. THEOD. PP. MITTIT APOCRISIARIOS CONSTANTINOPOLIN.

Cerneus igitur Theodorus, in vnam eamdemque sententiam conuenire vniuersam Ecclesiam Africanam, omnesque pariter in Paulum Constantinopolitanum conclamare; misit ipse Apocrisiarios suos cum literis acerrimis ad eumdem Paulum; quibus post admonitionem plurimam & exhortationem, plenam rectæ fidei præscribens formulam, subiecit anathema aduersus omnes qui ab Ecclesiæ Catholicæ sententia discreparent. Non extant ipsæ quidem Theodori literæ; sed ita rem gestam esse, aliæ à Paulo ad ipsum redditæ docent, quæ descriptæ habentur in Actis *e* Synodi Romanæ sub Martino Papa: quas si legeris; miraberis quæ soleat esse hæreticorum ad sua excusanda scelera; & operiendos errores, fraudulenta locutio. Quid vero post hæc factum fuerit, dicetur annis sequentibus.

e *Ibidem Secret. 4.*

[Prædictæ Theodori Papæ literæ ad Paulum Constantinopolitanum scriptæ, editæ nuper sunt in Collectaneis Anastasii Biblioth. à doctiss. Iac. Sirmondo; qui eas refert ad an. Christi 643 quando post receptam à Paulo Synodicam de sua in locum Pyrrhi subrogatione, arguit illum, & quod damnatæ Ecthesis Heracliana chartam publicis locis à Pyrrho suspensam non sustulisset, & quod eiusdem Pyrrhi, qui Patriarcharum odio compulsus abdicarat, adhuc superstitis necdum damnati sedem occupasset. Quare Synodum coram Apocrisiariis suis conuocari iubet, vt Pyrrhi causa examinetur; ipsamq; Ecthesim rursum anathemate percellit.]

Hoc interim eodem anno, in Hispania celebratum est CONCILIVM TOLETANVM, Septimum dictum, anno videlicet Chindasuindi Regis quinto, Æra sexcentesima octogesima quarta, cui præfuit *Orontius* Emeritensis Episcopus, subscripseruntque siue per se siue per vicarios alii Episcopi triginta octo: à quibus statuti sunt canones sex ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentes. Quæ autem in eo habetur appendix de inuentione librorum S. Gregorii Papæ, suo loco *f* ponenda erit.

III. CONCIL. TOLET. VII.

f *Infr. an. 649. in fin.*

IESV CHRISTI AN. 647.

THEODORI AN. 6.

CONSTANTIS AN. 6.

I. ANno Christi sexcentesimo quadragesimo septimo, Indictionis quintæ, Constantis Imperatoris sexto (vt scribit Theophanes) factus est ventus vehementissimus, qui inter alia multos Stylitarum disiecit monachorum; videlicet eorum qui in columnarum verticibus sibi habitacula construebant. Eodemque anno Saraceni Africam, bello ciuili ob rebellionem Gregorii Præsidis agitatam inuaserunt. Gregorium victum ex ea pepulerunt, eamdemq; subactam tributariam sibi reddiderunt.

SARACENI OCCVPANT AFRICAM.

II. Hoc item anno, quo absoluitur Dagoberti Francorum Regis decimussextus, idem Rex decimanona Ianuarii defunctus est, cuius erga Ecclesias munificentia ex ipsius testamento superius est demonstrata. Eius corpus (inquit Aimoinus *a*) conditum aromatibus, sepultum est in Ecclesia S. Dionysii quam ipse vniuersis quæ in Galliis tunc temporis erant excellentiorem condiderat, aureisq; atque holosericis pretiosissimis ornamentis decorauerat, & amplissimis reditibus dotauerat. Post quem duo ipsius filii, Sigebertus, & Clodoueus siue Hludouicus, regni administratione suscperunt. Quod autem ad salutem animæ eiusdem pertinet; scribit idem *b* auctor ea ipsa hora qua is expirauit, visionem diuinitus ostensam esse Ioanni cuidam viro sanctissimo, in parua aliqua insula prope Siciliam eremiticam vitam excolenti; qua apparuerunt ei haud procul in pelago dæmones vinctum Dagobertum per spatia maris agitantes, inflictisq; verberibus ad Vulcania loca trahentes; qui distentus cruciatibus, quorumdam Sanctorum audiebatur postulare suffragia: Cum repente aperto cœlo, inter fulmina in fluctus cum fragore ruentia, visi sunt descendisse Sancti illi quos Dagobertus in auxilium euocauerat, nempe Dionysius atq; Mauritius martyres, & Martinus confessor, (quorum ecclesias plus ceteris idem Rex ditauerat) qui arreptam à dæmonibus ipsius animam secum ad æthera leuarunt, Deo hymnos concinentes. Quam quidem visionem Ausoaldus Defensor Ecclesiæ Pictauiensis, ab eodem Ioanne eremita acceptam, narrauit S. Audoeno olim à Secretis eidem Regi Dagoberto, & postea creato Episcopo Rotomagensi, qui eam primus scriptis mandauit, ab eo vero Aimoinus excepit: cuius etiam, tanquam indubitatæ, meminit post multos annos Ludouicus Imperator in epistola ad Hilduinum Abbatem monasterii S. Dionysii, quæ habetur præfixa Areopagiticis ab eodem Hilduino conscriptis. In quibus consideres, recta diuini iudicii sententia factum esse, vt qui se antea multis facinoribus inquinauerat Dagobertus, iis nondum penitus (quod ad pœnam attinet) expiatis, quamuis pluribus bonis operibus postea abundasset, purgatorii post obitum pœna (ad breue licet tempus) aduersariis spiritibus, quibus ante fuerat obsecutus, traditum esse cruciandum. Sed & insuper intelligas; (quod optime notauit Aimoinus) nequaquam à Sanctis ornatum contemni, quem ad eorum memorias deuoti conferunt viri.

a *Aim. 4. de gest. Franc. 53.*

DAGOBERTI REG. OBITVS.

b *Ibid. cap. 54.*

VISIO DE ANIMA ILLIVS.

TEMPLORVM ORNATVS DEOCRETVS.

[Cuius memoria & hactenus visitur intra ecclesiam S. Dionysii ad sepulchrum ipsius Dagoberti antiquitus in lapide sculpta; vbi habentur dæmones ipsum in cymba per mare agitantes, & Sanctis de cœlo descendentes, eumdemque è manibus dæmonum eripientes.]

IESV CHRISTI AN. 648.

THEODORI AN. 7.

CONSTANTIS AN. 7.

I. ARTES PAVLI EPISC. CONST.

ANNO Christi sexcentesimo quadragesimo octauo, Indictione sexta, (vt notatur in Actis publicis S. Maximi martyris Constantinopoli habitis) Paulus Constantinopolitanus Episcopus cum vidisset ex literis à Romano Pontifice & à Conciliis Africanis ad ipsum anno superiori scriptis, vniuersam Occidentalem Ecclesiam aduersus se concitatam, hæresisque Monothelitarum damnationem publice in valuis ecclesiæ affixam esse; ad dolos se conuertens, auctor extitit Imperatori Constanti, edictum *a* proponere, quod TYPVM vocarunt; quo quidem constuera illa prætensa causa, vt omnes Christiani Orbis Ecclesiæ simul in vnam eandemque sententiam vnirentur, silentium de excitata controuersia indictum est, tam iis qui vnam quam qui duas in Christo Voluntates & Operationes assererent. Ea id agens Paulus calliditate, vt quoquo modo, vel silentio saltem damnari videretur de duabus voluntatibus & operationibus sententia; immo vt Christus non solum in humana eius natura, sed etiam in vtraque omnino sine voluntate, & operatione hoc est absque natura & essentia esse denuntiaretur; quæ Manichæorum fuit hæresis. Hanc enim subdoli fuisse hominis mentem, Patres Concilij Lateranensis *b* sub Martino Papa declarant, dum eundem ab Imperatore promulgatum, Typum examinandum susceperunt: quem quidem licet foris apparentem æquum, & pacis conciliatorem, eius tamen fraude detecta Patres anathemate damnarunt; quod videlicet hæresi iam vbique promulgata, nullus amplius locus esset silentio eiusmodi vocum, vt fuerat tempore Honorij Papæ, quo nondum apparuerat hæreticorum versutia.

a Ext. in Synt. 4. Conc. Later. sub Mart. TYPVS A CONSTANTE IMP. PROMVLGATVS.

b Ibid. Sessi. 4. & 5.

II. CONCIL. ROM. PRO DAMNATIONE HÆRESIS MONOTHEL.

Verum & ante illa sub Martino peracta, nempe hoc ipso anno, Theodorus Papa collecta pariter SYNODO, cum ipsam Monothelitarum hæresim, tum eius caput Paulum Constantinopolitanum, frustra hactenus eiusdem Pontificis litteris commonitum, simili anathemate perculit: nec Paulum dumtaxat, sed & Pyrrhum eiusdem Ecclesiæ olim Patriarcham, qui in errorem relapsus erat opera Olympij Exarchi hæretici audacissimi. De Pauli namque damnatione testis est Anastasius in Theodoro: Pyrrhi vero lapsum post pœnitentiam asserunt Annales *c* Græci, necnon Anastasius eodem loco, & S. Maximus in epistola ad monachos Siculos, ac demum Martinus Papa in Lateranensi Synodo Actione prima: ex quibus etiam omnibus constat, eundem à Theodoro Synodali sententia damnatum fuisse ac depositum. Quinimo addunt Annales, Theodorum ad sepulchrum S. Petri accedentem, de sanguine Christi ex calice distillato in atramentum, depositionem Pyrrhi excōmunicati conscripsisse. haud tamen aliqua huiusmodi maledictionis, in Ritibus sacris Ecclesiæ Romanæ reperitur esse præscripta lex, vel factum ipsum aliquo alio quod sciamus declaratum exemplo; quod apud Græcos post hæc etiam factum legimus *d* in octaua Oecumenica Synodo aduersus Photium. Ceterum Pyrrhus post præuaricationem suam reuersus in Orientem, & in gratiam Imperatoris receptus, post obitum Pauli, pactam in mercedem impietatis Constantinopolitanam sedem resumpsit, vt dicetur inferius.

c Theoph. an. 20. Heracl.

DIRA PYRRHI RELAPSI EXCOMMVNICATIO.

d Infra an. 869. V.

III. FVGA PAVLI CONST. IN APOCRIS. SED. APOST.

Interea dum quæ hoc anno gesta Romæ fuerunt Constantinopoli audita sunt, furore percitus Paulus, primo quidem altare & oratorium, quod erat in ædibus, in quibus Apocrisiarij Romanæ Sedis habitare consueuissent, diripuit; deinde aduersus eosdem Apocrisiarios Constantinopoli tūc existentes, necnon ceteros Orthodoxos ipsis inhærentes, persecutionem mouens, quosdam carceri tradidit, alios in exilium misit, rursumque alios, verberibus submisit. Quæ cum ipsi Martinus Papa sub Theodoro contigisse demonstret in ipso exordio Lateranensis Synodi; ex illis erroris redarguitur Anastasius, dum hanc persecutionem ad eiusdem Martini tempora refert. Nam Martini Apocrisiarios non ista passos, sed seductos fuisse, ipsemet dolet in litteris e scriptis aduersus Paulum Episcopum Thessalonicensem.

e Mart. ep. 12.

Eodem hoc anno, qui septimus Constantis Imp. numeratur, Saracenorum Princeps insulam Cyprum inuasit, captamque Constantiam ciuitatem demolitus est. Ita namque sinistra omnia cessere infelicissimo Imperatori, dum ipse bellum aduersus Catholicam fidem in dies magis augeret.

IV. SARAC. OCCVPANT CYPRVM.

IESV CHRISTI AN. 649.

MARTINI AN. 1.

CONSTANTIS AN. 8.

I. THEOD. PP. OBIT. MARTINVS CREAT.

ANNO Christi sexcētesimo quadragesimo nono, Indictione septima, *Theodorus* Papa vbi sedisset annos septē, mēses quinque, dies viginti, pridie Idus Maij ex hac vita migrauit, sepultusque est apud S. Petrū: cumq; sedes vacasset mensem vnū & dies sexdecim, in locū eius subrogatus est die prima mensis Iulij, MARTINVS patria Tudertinus in Tuscia. Hæc ex Anastasio.

II. CONCIL. LATER. PRO DAMNATIONE TYPI.

Vbi vero Martinus thronum Apostolicum conscendit, confestim Synodum indixit celebrandam hoc eodem anno mense Octobri in hoata iam Indictione octaua, & exordio anni noni Constantis Imperatoris. Eo namque tempore dictam SYNODVM LATERANENSEM celebratam esse, eius Acta disserte docent in principio. Præfuit ei ipse Martinus Romanus Pontifex: interfuisse vero Episcopos centū quinque, in iisdem Actis habetur; totidemque numerat Anastasius, sed à Theophane *a* ponuntur centum decem: qui & ait, S Maximum Abbatem ad Synodum cogendam induxisse Martinum; idq; ipsum in Rebus gestis eiusdem S. Maximi conscriptum habetur. Quod autem ibi etiam dicitur, ipsum hinc Synodo interfuisse, nec tamen in Synodi Actis vlla de eo fit mentio; id inde accidit, quod etsi Abbates admitterentur ad Synodum, haud tamen facultas eis esset, sicut erat Episcopis, dicendi sententiam, & subscribendi, sed tantum consulendi. Porro ob eiusdem Synodi amplitudinem ac maiestatem, eam S. Martinus in epistola *b* ad S. Amandum postea data, *Concilium Generale* nominat. Cuius quidem extant *c* Acta integra, tum Græce tum Latine scripta, eo quod non tantum in Archiuo Apostolicæ Sedis illa fuerint seruata, sed etiam (vt tradit Anastasius) plurima ex prototypo cōfecta sint exemplaria, quæ ab eodem Pontifice missa sunt in omnes prouincias Orientis & Occidentis. Continet autē Secretaria, siue dixeris Consultationes, vel Sessiones, Actionesve, quinque, singulis diebus confectas.

a Theoph. an. 19. Heracl.

b Ext. post Act. Concil. Later. sub Mart.

c Tom. 2. Conc.

III. TENTATVS AB IMP. MARTINVS.

Causa autem eius cogendæ, non tam fuit vt Sergius, Pyrrhus, & Paulus Constantinopolitani Episcopi damnarentur, qui iam fuerant condemnati; quam vt recens illa ab Imperatore proposita credendi formula, *Typus* dicta, omnino proscriberetur, & anathemati subiiceretur. Cum enim mox vt ex vsurpata illa tyrannice auctoritate Imperator Martini electioni consensit; & quasi pro quodam gratitudinis præmio, ab eo exigere conatus esset sui subscriptionem edicti, literis ea de re ad ipsum scriptis: (vt patet ex sinceris Actis *d* S. Audoeni Episcopi Rotomagensis:) eiusmodi facinus execratus Martinus, tantum abfuit vt Imperatori consentire voluerit, vt potius in ipsum insurgens indixerit Synodum, qua promulgatam eius perfidiam condemnaret. A quo non solum deterreri non potuit literis Imperatoris, sed nec ipsius Olympij exarchi præsentia: qui in Italiam ad promulgandum Typum missus, Romam veniens eo ipso tempore quo Synodus habebatur, primo seditionem per exercitum mouere tentauit; & cum frustra id fieri videret, Spatharium suum impulit, vt dum ipse Exarchus in Missarum solemniis ab eodem Pontifice communionem acciperet, eum interimeret; sed excæcato diuinitus eo tempore spathario, ab isto quoque imminenti periculo ereptus est Pontifex, ipseque ei Olympius postea reconciliatus: quæ omnia tradit Anastasius.

d Act. S. Audoen. S. ap. Sur. 24. Aug.

CONATVS EXARCHI IN MAR.

IV.

His igitur nullo modo perterritus Martinus, Synodum (vt diximus) celebrauit. In qua primo auditæ sunt variæ legationes, ac lectæ literæ tam Orientalium quam Occidentalium Antistitum aduersus Monothelitarum hæresim, eiusque sectatores: deinde producta quæcunque ab eiusmodi hæreticis aduersus Catholicam fidem scripta esse reperirentur, vna cum Ecthesi Heraclij, & Typo Constantis Augg. nomine promulgatis. Primumque omnium lecta sunt scripta *Theodori* Episcopi *Pharanitæ*, obscuri quidem nominis viri, sed ex impietate optime noti; qui & ideo princeps erroris habitus est, quod ex eius scriptis omnes qui hæresim promulgarunt acceperint. Quare & ex iisdem cognita sunt ipsius Monothelitarum hæresis penetralia, ostensumque (quod postea successores præ pudore occultare conati sunt) ex quo fonte blasphemia flueret de vna tantum in Christo Voluntate & operatione; nempe quod iste Theodorus assereret, incorporaliter ex vtero processisse Dominum nostrum IESVM CHRISTVM. Ad hæc autem, & alia impia hæreticorum dicta confutanda, recitatis Quinque Vniuersalium Synodorum de fide decretis, & veterum sanctorum Patrum sententiis; iussa sunt æque legi antiquorum scripta hæreticorum, quo iis consentire deprehensi recentiores hæretici, mendaces pariter arguerentur, dum vt deciperent simpliciores, se Patres sequi & sacra Concilia tueri mentiti essent.

THEOD. EPISC. PHARAN. PRINCEPS MONOTHEL.

V.

His igitur à S. Synodo exacte cognitis atque discussis; ad veram de Verbi Incarnatione doctrinam declarandam, stabiliendamque, & ad confutandas cunctas omnium eius aduersariorum assertiones, viginti ex doctrina SS. Patrum sanciti sunt Canones, cum totidem additis anathematismis aduersus eos qui secus sentirent: damnatique cum omnes antiqui hæresiarchæ, à præteritis Synodis Oecumenicis, & aliis sanctis Patribus, vniuersaque Ecclesia Catholica reprobati; tum Monothelitarum impietatis auctores, fautoresque præcipui, Theodorus Pharanita, Cyrus Alexandrinus, & Sergius, Pyrrhus, ac Paulus Constantinopolitani Episcopi, vna cum impiis ipsorum scriptis, necnon Ecthesi Heraclij, & Typo Constantis; ac denique omnia firmata sunt cunctorum Episcoporum subscriptionibus. Postea vero scripta est à Martino Pōtifice & vniuerso Concilio, Synodalis epistola Circularis ad omnes vbique Fideles, de iis quæ ibi gesta essent; quæ extat *e*, ex sacris scripturis magna industria concinnata, dignaque plane tanto Pontifice, tantoque Episcoporum cœtu.

HÆRETICI DAMNATI CVM IPSORVM SCRIPTIS.

e Mart. ep. 1.

VI.

Sed & vna cum ea epistola missa sunt exemplaria Synodalium Actorum; vt de iisdem in Africam directis, testis est ipse Martinus *f* scribens ad Ecclesiam Carthaginiensem & Episcopos ei subiectos: de missis vero itidem in Asiam ad Ioannem Episcopum Philadelphiæ, fidem faciunt aliæ eiusdem Pontificis *g* ad ipsum aliosque Orientales scriptæ litteræ. Eademque missa esse in Gallias, testatur idem Papa in epistola *h* ad S. Amandum Traiectensem Episcopum scripta, cum ipse pertæsus prauos mores ministrorum Ecclesiasticorum, petiisset à Martino vacationem ab Episcopatu; quam tamen non obtinuit. Meminerunt, & pariter eiusdem epistolæ Synodalis in Gallias missæ, Acta *i* S. Eligij Nouiomensis, ab eius æquali & æque sancto Audoeno Episcopo Rotomagensi conscripta: ex quibus etiam constat Martinum Legatos ad Reges Francorum Clodoueum ac Sigebertum direxisse, vt Episcopos doctrina præstantes è Galliis ad se mitterent, quorum adminiculo facilius hæresis comprimeretur; quibusque credi posset Legatio Apostolica, vt pariter in Galliis quæ Romæ gesta essent, congregatis prouincialibus Synodis firmarentur. Eadem vero accepta esse magno plausu ab vniuerso Catholico orbe, adeo vt ad plenam fidei Catholicæ professionem, post Quinque Vniuersalium Synodorum assertionem, huius præterea Romanæ adiicere solerent confessionem; satis intelligitur ex Synodo Anglicana *k* sub Theodoro Archiepiscopo Dorouernensi, de qua dicendum suo loco: qui vsus perseuerauit vsque ad plenam promulgationem Sextæ Oecumenicæ Synodi.

ACTA SYNODI AD OMNES MISSA.

f Id. ep. 4.
g ep. 5. & seqq.
h Ext. post Concil. sub Mart.

i Ap. Sur. 1. Dec.

ET VBIQVE RECEPTA.

k Bed. lib. 4. c. 17.

VII.

Porro qui hæc omnia vigilantissima solicitudine curauit, ac summa constantia in ipsius Exarchi faciem Typum Imperatoris damnauit, idem Martinus Papa vna cum Synodo de rebus in ea gestis scripsit quoque literas *l* ad ipsum Constantem Imp. ea quidem moderatione, vt nequaquam ei crimini daret Typi editionem, sed Paulo qui suaserat; veruntamen moneret, vna cum Orthodoxa fide bene custodita crescere Reipublicæ statum, minui vero cum Imperatores & Reges pro aduersariis fidei pugnant. Scripsit itidem (vt diximus) ad Ioannem Philadelphiæ Episcopum; quem & creauit in Oriente Vicarium Apostolicæ sedis, vt Hierosolymitanæ, Antiochenæ, aliisque earum partium Ecclesiis pastoribus destitutis, vel ab hæreticis misere labefactatis succurreret: itemque ad alios *m* quoidam Episcopos, Archimandritas, & Viros Illustres, vt præsto eidem Ioanni Vicario essent, eidemque morem gererent: quo etiam argumento alias vberiores grauioresque literas dedit ad omnes qui iisdem Ecclesiis Hierosolymitanæ & Antiochenæ subiacerent, sacerdotes, monachos, atque laicos; eosdem insuper monens de perperam facta ordinatione Macedonij Antiochiæ & Petri Alexandriæ Episcoporum hæreticorum, qui absque vlla electione canonica eas Ecclesias inuaserant. Sed acerrimæ illæ fuerunt, quas ad Paulum Thessalonicensem Episcopum misit; quem & in hæresim lapsum, & alios in errorem inducentem, (siquidem & ipsos etiam Apocrisiarios Apostolicæ Sedis, ad eum missos vt ab errore eum reuocarent, ipse in partes suas traxit) necnon & corruptorem literarum Apostolicarum ab eodem Pontifice ad ipsum antea scriptarum, extra Catholicam communionem esse iussit, & sede deposuit; deque eiusdem damnationis causis ad Thessalonicensem Ecclesiam scripsit. Quæ autem post hæc gesta sunt, dicentur anno sequenti.

CONSTANT. IMP. ET ALIOS.

l Mart. ep. 3.

m Id. ep. 6. vsque 13.

PAVLVS EPISC. THESSAL. DAMNATVR.

VIII.

Hoc eodem anno, qui vltimus censetur Chindasuindi Hispaniarum Regis, cum idem Martinus Romanus Pontifex sedere cœpisset, contigisse fertur Reuelatio partis librorum Moralium S. Gregorij Papæ, diuinitus à SS. Apostolis Petro & Paulo facta Taioni Episcopo Cæsaraugustano, pernoctanti ad sepulchrum eorundem Apostolorum, cum is à Rege missus Romam ad eosdem libros petendos, moras pateretur, quod ij haud facile reperiri possent inter immensam librorum multitudinem Archiui Romanæ Ecclesiæ. Res gesta describitur in Appendice ad primam Synodum Toletanam. Libros autem Moralium S. Gregorij qui in Hispania desiderarentur fuisse tertiam & quartam partem eorundem Moralium, intelligi potest ex epistola *n* eiusdem S. Gregorij ad S. Leandrum Hispalensem Episcopum, ad quem opus integrum inscripserat. Cæterum de eodem Rege Chindasuindo scribunt historiæ Hispanorum, eum, vbi regnasset annos sex & menses octo, hoc ipso anno cessisse regnum filio Recceswintho. Eundemque tradunt *o*, expulso in exilium perfido Theodisco Hispalensi Episcopo, (de quo superius dictum est) obtinuisse à Romano Pontifice, vt primatus Hispaniæ ab eadem Ecclesia à Hispalensi in Toletanam transferretur, sicut fuerat ab antiquo. Cuius etiam Regis eluxit munificentia in monasteriis locupletandis.

DE REVELATIONE LIBROR. MORAL. S. GREG. PP.

n Greg. 4. ep. 46. ind. 13.

o Roder. Tol. lib. 2. de reb. Hisp. cap. 20. & Luc. Tuden. in Chr.

PRIMATVS ECCL. HISP. TRANSLATVS TOLETVM.

IESV CHRISTI AN. 650.

MARTINI AN. 2.

CONSTANTIS AN. 9.

I.

ANNO Christi sexcentesimo quinquagesimo, Indictione octaua, vbi Constans Imperator nouit, quæ Romæ in Synodo aduersus Typum à se promulgatum gesta essent, furore repletus, SS. Martinum Romanum Pontificem, & Maximum Abbatem Constantinopolitanum, in exilium relegauit. Hæc ita præsenti Indictione octaua, Constantis Imp. anno nono, gesta esse breuiter narrat Theophanes, cum anno vigesimo Heraclij agit de origine ac progressu hæresis Monothelitarum; necnon fidelissimus scriptor Rerum gestarum ipsius Maximi.

[Ita quidem apud Theophanem consignatur tempus abductionis Martini PP. ab Vrbe: at cum Martinus ipse Ep. 15. ad Eliter. asseratte

abdu

abductum fuisse feria quarta 13. Cal. Iulias, iam adnotauit Sirmondus in Collectan. Anast. Bibl. his fine controuersia designari annum Christi 653. Qui idem in Synopsi Chronica eisdem Collectaneis præfixa in annis Pontificum Rom. horum temporum, & certaminibus SS. Martini & Maximi, nonnihil dissentit a chronologia Baronii: cui tamen nos adhærere omnino necesse habemus, maxime cum non careat antiquis auctoribus quibus innitatur, nec adeo difficile aliquando fuerit, menda irrepsisse in aliorum veterum scripta.]

II. MART. PP. IN EXILIVM PELLITVR, ET PLVRIMÆ TRACTATVR.

Verum vt de Martino prius agamus; cum non auderet Imperator, ob solam Typi sui damnationem eum Vrbe pellere, ne apud Christianos tyranni & persecutoris, sine hæretici nomen consequeretur; causas etiinxit, quibus iuste videri posset expulsus: nempe accusans eum, quod mutasset traditam à maioribus fidem; quod aduersus Romanum Imperium aliquid molitus esset cum Saracenis: quod contra Dei-Genitricis MARIÆ cultum, nescio, quid esset locutus; ac denique quod irregulariter contra canones sedem surripuisset. His igitur aduersus eum confictis criminibus, Calliopas Italiæ Exarchus, (qui defuncto nuper Olympio successerat) vt voluntatem Imperatoris exequeretur, venit cum exercitu Romam; ingressusque armatus ecclesiam Constantinianam, ac Palatium Lateranense, nihil veritus loci sanctitatem, sed nec Cleri Romani magnitudinem animi, pro sui defensione Pontificis diro anathemate præsentes ferientis aduersarios; Martinum haud renuentem, immo & rem armis à suis agi omnino prohibentem, ab eadem ecclesia exturbauit, & corpore licet ægrum, podagræque doloribus afflictatum, decimotertio Calendas Iulij noctu ac clanculum (præ metu Romanorum) naui imposuit; eundemque crudelissime haberi iussum (sicut & habitus est) in Orientem asportandum militibus tradidit. A quibus cum in insulam Naxum deductus esset, ibi annum integrum agere exul iussus est, semper in corporis ægritudine perseuerans. Quæ quidem omnia vberius narrantur in epistolis *a* quas idem Pontifex ad Theodorum & Elitherum postea scripsit, cum agens Constantinopoli rogatus ab illis, cuncta recensuit vt se habuerunt, necnon in alia, quam eodem tempore vnus ex ipsius comitibus scripsit ad Clerum Romanum & alios Occidentales: quas omnes, vna cum aliis ab eodem Pontifice in exilio Græce scriptis, Anastasius Bibliothecarius reddidit Latinitati, vt nunc sunt. Fuit autem illud impiorum consilium, vt anno integro Martinus inter Cycladas insulas premeretur angustiis, quo eius constantia frangeretur, tandemque Imperatori consentiret: cum tamen e contrario magis ipsum pro tuenda veritate factum robustiorem visuri simus infertus.

a Mart. ep. 14. 15. 16.

III. MAXIMI ABBATIS VINCVLA, ET EXILIVM.

Quod vero spectat ad Maximi Abbatis vincula; etsi eum eodem quo Martinus captus est anno, æque ab Vrbe abductum esse, cum Theophanes, tum Acta ipsius Vitæ testantur: id tamen ei paulo ante quam Martino contigit, vtpote quod non adeo difficile fuerit inventum solum monachum peregrinum capere & vinculis mancipare. Quomodo vero ipse iam septuagenarius Constantinopolim naui perductus, ac per vias ibi incalceatus ac sine amictu tractus, coram Senatu rationem reddiderit calumniarum ipsi obiectarum de proditione Imperij, de odio aduersus Imperatorem, & quibusdam somnis de eodem habitis, ac denique de hæresi Origenistarum; sed & multis, aliis variisque modis tentatus, magna animi constantia cum Senatui tum aliis postea ad eum missis restiterit, calumniasque diluerit, ac demum impulsu Pauli Constantinopolitani Episcopi hæretici, ac iussu Constantis Imp. in Traciam exul missus fuerit, vna cum duobus Anastasiis ipsius discipulis, quorum alter fuerat etiam S.R.E. Apocrisiarius: hæc, inquam, omnia fusius narrantur in iisdem ipsius Maximi Rebus gestis: ceterum vero dicentur postea.

IV. b Ap. Sur. 1. Dec. c. 34.

Quod ad res Ecclesiæ Gallicanæ pertinet; S. Audoenus Episcopus Rotomagensis in Actis *b* S. Eligij Nouiomensis auctor est, hoc ipso tempore quo Martinus Papa in exilium abductus est (cuius & constantiam mire prædicat) quemdam hæreticum pulsum à partibus transmarinis in Gallias venientem, cœpisse Augustoduni subdole nefanda sua dogmata prodere cumque id in Palatium ad aures S. Eligij peruenisset, consilio cum ipso Audoeno inito (hi enim ambo & præcipuæ erant apud Regem Clodoueum auctoritatis, & arctissimæ inter se amicitiæ) egisse cum Rege, vt ad illum hæreticum refellendum SYNODVS Episcoporum *Aurelianis* congregaretur. In qua cum idem hæreticus mira in disputando subtilitate omnes Antistitum rationes diu elusisset, tandem cuiusdam doctissimi Episcopi nomine Saluii industria conuictum, communi Episcoporum sententia damnatum esse, & cum ignominia a finibus Galliarum eiectum. Hæc Audoenus: quæ plane eadem habentur in ipsius Audoeni Rebus *c* gestis: sed quisnam hæreticus iste, vel cuius hæresis fuerit, neutrobi dicitur.

CONCIL. AVREL. PRO DAMNATIONE CVIVSDAM HÆRETICI.

c Ap. Sur. 24. Aug.

V. DIVERSI SANCTI VIRI APOSTOLATVM ACCIPIVNT A SVM. PON.

Nec vero hic omittendum, quod ante discessum ab Vrbe Martini Papæ contigisse constat; nempe S. Landelium *d* Cameracensis Ecclesiæ presbyterum, cum iam tertio profectus esset Romam ad Limina Apostolorum, ab eodem Martino munus prædicationis suscepisse acceptumque talentum bene impendisse, claruisseque miraculis, ac multa monasteria erexisse, fauente ipsi sua munificentia Clodoueo Francorum Rege. Itemque *S. Amandum* Episcopum Leodiensem, pariter Romam veniẽtem, ab eodem Pontifice prædicationi Euangelicæ ad Gentes mancipatum fuisse, fructusque vberes ex Gentium conuersione collegisse: vt S. Bauonis Acta *e* significant, necnon *S. Landoaldi f* Archipresbyteri, qui à Martino datus est vna cum *Amantio* diacono, ipsi Amando comes. Insuper & eadem de causa accessisse ex Hibernia *S. Follianum*, nempe vt exemplo *Fursei* ipsius Germani, acciperet benedictionem ad Infidelium conuersionem; traduntur eius Acta *g*. Porro consuetum fuisse sumi à Pontifice Romano licentiam prædicandi Gentibus, alia quoque docent exempla quamplurima, de quibus etiam agitur his Annalibus, suis quibusque locis.

d Acta S. Landel. ap. Sur. 15. Ianuar.
e Ap. Sur. 1. Octob.
f Ap. Sur. 2. Mart.
g Ap. Molan. in Natal SS Belgii. Octob.

IESV CHRISTI AN. 651.

MARTINI AN. 3.

CONSTANTIS AN. 10.

ANNO Domini sexcentesimo quinquagesimo primo, Indictione nona, decimotertio Calendas Septembris, Oswinus in Anglia Rex nono regni sui anno, proditione amici occisus migrauit ad superos. Ita Beda *a*, qui eius egregia facta scriptis commendata posteris spectanda reliquit. Addit quoque, *Aidanum* Episcopum, de quo superius dictum, mœrore Regis, quem multum ob ipsius pietatem, humilitatem, ceterasque virtutes diligebat, confectum, post dies duodecim decessisse, nimirum pridie Calendas Septembris; cuius & miracula recenset, ex quibus dignus habitus est qui annuersario cultu ab Ecclesia Catholica celebretur.

I.

a Bed. lib. 3 h. c. Angel c. 14.

Hoc item anno, inchoata iam Indictione decima, S. Martinus Papa cum in Naxo insula in ærumnis iam annum egisset, ad grauiora subeunda pro fide Christi à perfidissimis hæreticis supplicia, mense Nouembri Constantinopolim ductus est; ibique licet ægritudine laboraret, nihilominus tam in carcere, quam coram Magistratibus, multis calumniis impetitus, dirissima passus est; cum & Pontificiis insignibus exutus, ac seminudus constitutus ferreis catenis collo totoque corpore vinctus, publice per vrbem Constantinopolitanam à carnificibus tractus est; sed & catenarum pressuris laceratus, frigoreque & inedia in horrido carcere consumptus, omni denique ex parte afflictionibus lancinatus, gladio quoq; vitâ finiisset, (quod maxime optabat) nisi Paulus Constantinopolitanus Episcopus, horum omnium malorum architectus, eodem tempore in peccatis suis moriens, conscientiæ tamen stimulis coactus peccatum in Martinum agnoscere, (*Hei mihi!* inquiens, *& hoc ad abundantiam iudiciorum meorum actum est.*) Imperatorem adiurasset, nihil amplius mali ei inferri. Quapropter exulare tantummodo Chersonam in Ponto Euxino iussus est: quod vtique anno sequenti accidisse constat; siquidem detentus est Constantinopoli in carcere sex integros menses. Porro ista omnia quæ summatim retulimus fuse describuntur in litteris *b*, quas superius diximus exaratas fuisse ad Cle um Roman. & alios Occidẽtales ab vno ex illis qui eidem Pontifici peregri-

II. MART. PP. CERTAMINA IN EXILIO.

b Ap. Martin. ep. 16.

nationis

nationis comites adhæserunt. Quot autem cladibus illatis in Romanum Imperium à Saracenis, vltus sit Deus tanta hæc in Summum totius Orbis Pontificem patrata facinora, describunt Annales *c* Græcorum.

c Cedr. in Heracl. an. 20.

IESV CHRISTI AN. 652.

MARTINI AN. 4.

CONSTANTIS AN. 11.

I. RELEGATVR CHERSONAM.

ANNO Christi sexcentesimo quinquagesimo secũdo, Indictione decima, S. Martinus Romanus Pontifex ipsa sancta quinta feria Cænæ Domini Constantinopoli soluens, Chersonam locum exilio suo destinatum Idibus Maij perductus est: qui quidem locus infelicissimus ad exilium sancti viri, delectus esse visus est, vt ibi fame consumptus diem extremum claudere cogeretur. Quantis enim incommodis ibi laboraret, vbi nulla incolis charitas esset, (quippe qui ferme omnes Gentilismum colerent) atque omnium rerum penuria tanta esset, vt & panis ibi nominaretur tantũ, non videretur, ipsemet testatus est duabus epistolis *a* illinc scriptis ad quosdam familiares suos Constantinopoli degentes.

a Martini ep. 17. 18.

II. EVGENIVS DATVS SVCCESSOR MARTINO AB IMP.

Sed quod maiorem viro sancto dolorem incussit, fuit cũ subrogatum sibi successorem, se viuente & pro fide exulante, audisset. Hoc enim eodem anno cum exutus ille Pontificatus insignibus, missusque tam longe apud Gentiles in exilium absque spe vlla restitutionis, iam inter mortuos propemodum collocaretur; Calliopas Exarchus impleuit Romæ quod in mandatis acceperat ab Imperatore, vt in locum Martini alius subrogaretur. Et Romanus Clerus, licet diu reluctatus, ne tamen cogeretur subire periculum quod imminebat, vt nisi ipse eligeret, daretur inuitis ab Imperatore Pontifex, qui eiusdem cum eo esset hæresis propagator; elegit tandem (Vicaria tamen, dum Martinus viueret, Præfectura) *Eugenium*, patria Romanum filium Ruffiniani; qui inde maximam compatauerat sibi laudem, quod ab ipsis ferme incunabulis vacasset rebus Ecclesiasticis, semperque extitisset erga pauperes munificentissimus. Porro eius electionem contigisse hoc anno die nono Augusti, colligitur ex Anastasio, dum eius sedis tempus recenset.

III. IMPII EPISCOPI CONST.

Hoc eodem anno, cum (vt diximus) superiori defunctus esset impius Paulus Constantinopolitanus Episcopus; post multas de successore contentiones, subrogatus est, cui plerique contradicebant, bis impius *Pyrrhus* apostata: qui miser vbi sedisset *b* menses quatuor & dies viginti tres, mortuus est, & in locum eius suffectus æque impius *Petrus*, sed anno sequenti.

b Niceph. in Chron.

IV. MIRA EMMERANNI CHARITAS.

Ad hunc *c* quoque annum, *Emmeranni*, siue *Heimerammi*, Episcopi Ratisponensis martyrium referendum esse, liquet ex ipsius antiquitus scripto Epitaphio: quod quidem contigit sub Theodone Bauariæ Principe, cum eiusdem Principis filia Ota virgo Sigibaldo cuidam commixta, ex stupro concipiens, in vitæ discrimen vna cum iuuene adduceretur. Siquidem ipse Heimerammus, vt eos à nece eriperet, (Christi exemplo, qui aliena innocens super se peccata suscepit libens volensque) sibi passus illud stupri crimen adscribi, licet postquam nocentem à morte liberasset, suam innocentiam defenderet, & pro causæ cognitione ad Romanum Pontificem vna cum accusatoribus remitti postularet; nihilominus à Lantberto Theodonis filio cædi iussus, post singulorum membrorum detruncationem, & oculorum ac linguæ euulsionem, truncus relictus, adhuc prophetice nonnulla locutus est, ac tandem expirauit, miraculis post obitum clarissimus. Narrant hæc fusius eiusdem Acta *d*, scripta à Cyrino Episcopo item Ratisponensi, qui eodem ferme tempore vixit. Natalem autem eius, decimo Calendas Octobris in sacras Martyrum relatum Tabulas, anniuersaria die egregio Catholica Ecclesia celebrat elogio.

c [Habet hæc Baron. ann. 701. sed postea correxit in App. ed. Tom. IX. & in hunc annum 651. referenda præcepit.]

d Ap. Sur. 22. Sept.

IESV CHRISTI AN. 653.

MARTINI AN. 5.

CONSTANTIS AN. 12.

ANNO Christi sexcentesimo quinquagesimo tertio, Indictione vndecima, in Pyrrhi locum subrogatus est in sede Constantinopolitana ab hæreticis *Petrus*, qui in eadem Ecclesia suscipiendorum hospitum munere fungebatur, hæreticus & ipse Monothelita: qui vt faciem saltem Catholici hominis ostenderet, ad Eugenium, loco S. Martini Romæ sedentem, quo ab eo in communionem recipi mereretur, litteras misit: sed cum eæ multis ambagibus inuoluerentur, tumultuante aduersus eas Clero ac populo, omnino reiectæ sunt; vt tradit Anastasius in Eugenio.

I. NON RECIPIVNTVR ROMÆ LITERÆ PETRI EPISCOPI CONST. HÆRET.

Hoc eodem anno, quo Recceſuinthus in Hispania quintum inchoauit sui regni, Æra sexcentesima nonagesima prima, mense Decembri, celebrata est SYNODVS TOLETANA, Octaua dicta, cui interfuerunt Episcopi quinquaginta duo, præter absentium Vicarios, & Abbates, præfuitque *Orontius* Emeritensis Metropolitanus, ceteris senior: à quibus statuti reperiuntur canones duodecim. Exarsit vero potissimum zelus Patrum aduersus sacros ministros carnis inquinamento pollutos: itemque aduersus quoscumque, Fideles, qui prætextu incommodæ ægritudinis, Ieiunij Quadragesimæ violatores existerent. Sed & illud memoria dignum statuerunt *a*, vt Pontificum Hispanorum & maiorum Palatinorum negotium esset, quem Regi defuncto succedere vellent, eligere; eique rei fierent ab ipsis comitia, aut in vrbe regia, aut in loco vbi contingeret Regem mori. Porro si hæc de electione Regum Hispaniarum sancire potuerunt Hispaniæ Episcopi; quid adeo mirandum, primum summumq; in Ecclesia Catholica Hierarcham de Eelectoribus Imperatorum constituere decretum?

II. CONCIL. TOLET. VIII.

a Concil. Tolet. VIII. c. 10.

EPISCOPI HISP. CVM OPTIMATIBVS DELIGVNT REGEM.

[Quod quidem habitum esse constat anno quinto Recceſuinthi: sed quia regnauit ipse simul cum patre, alii aliter & annos eius numerant, & consignant Concilia Toletana sub eo celebrata.]

Cum autem aduersus Iudæos querela Regis Synodum interpellasset, placuit *b* vt in eos qui post Christianam fidẽ susceptam ad Iudaismum reuersi essent, leges Sisenandi Regis seueræ admodum exercerentur: quarum timore iidem conuenientes, atque pœnitentiam præseferentes, ad Recceſuinthum Regem anno sequenti scripsere libellum *c*, quo se obseruantissimos Christianæ legis fore iureiurando promiserunt. Verum semper Hispaniarum Episcopis super huiuscemodi perfidis hominibus inuigilandum fuit, vtpote qui mille artibus fallere, promissis non stare, tegereque impietatem velamento religionis consueuerunt: vt vix sit reperire celebratum post hæc ibi Concilium, in quo non fuerit aliquid de his statuendum: cum tamen non inficias ierimus, inter tot vepres lilia nasci sæpe visa esse, viros, inquam, ex iis pietate insignes.

III. CONTRA IVDÆOS IVGITER FVIT IN HISP. AGENDVM.

b Ibid. c. 11.

c Fer. Iudic. lib. 12. tit. 2. c. 16.

Ceterum in hac Synodo post scriptos canones secuta est subscriptio primum Episcoporum, deinde Abbatum, postea Vicariorum absentium Episcoporum, ac demum illustriũ Palatinorum. Qui autem quarto loco inter Abbates nominatus reperitur *Ildephonsus*, fuit insignis ille sanctitate & doctrina clarus, qui postea successor extitit Eugenij in Ecclesia Toletana; olim vero discipulus fuerat S. Isidori Hispalensis Episcopi, cum adhuc militaret clericus in Ecclesia Toletana, indeque monasticam vitam professus. Agaliensis cœnobij præfecturam acceperat: de quo plura dicenda inferius.

IV. ILDEFONSVS ABBAS, POSTEA EPISCOP. TOLET.

Hoc item anno propagatus est Christianismus in Anglia, cum populi Middelengli, id est, Mediterranei Angli, vna cum Principe eorum Penda (filio alterius Pendæ Merciorum Regis, crudelissimi Pagani, & aliorum Christianorum Regum peremptoris) fidei mysteriis sunt imbuti, haud abnuente Penda patre, occasione postulatæ à filio in vxorem Alchfledæ filiæ Osvvi Regis Nordanhumbrorum Christianæ fœminæ, quæ pluribus Beda *d* prosequitur. Hocque pariter anno signatum habetur martyrium Reginæ *Osithæ*

V. PROPAGATA RELIGIO IN ANGLIA.

d Bed. in Epist. hist. & c. 1. hist. 21.

e in

e Vit. eius ad ann. Sur. 7. Oct.

e in eadem Anglia; quæ educata in monasterio, cum inde contra votum à parentibus tradita esset nuptui Regi Orientalium Saxonum, ab eo intacta seruata licentiam accepit monasterium rursum ingrediendi; vbi feliciter martyrium est consecuta ab irruentibus piratis Danis Gentilibus. Ac denique eodem anno Sigebertus consignat obitum *S. Iudoci* filij Regis Britonum; qui spreto regno & mundo, peregrinus & eremita in pago Pontino quieuit.

VI. COLOSSVS RHODIVS FRACTVS A SARAC. f Vit. Pan. iu. 344. 7.

Quod pertinet ad res Orientales, hoc item anno Constantis Imp. duodecimo (vt habēt ex Theophane Annales Græcorum) Mauuias Saracenorum Princeps Rhodum veniens, *Colossum*, siue æneum illud Solis simulacrum, in portu constitutum, interque septem mundi miracula olim numeratum, (cuius nimirum tanta magnitudo *f* erat, vt diuaricatis cruribus spatium præberet nauibus portum ingredientibus, altitudinem habens centum viginti sex pedum) iam antea *g* terræmotu disiectum, confregit, Iudæoque cuidam Emeseno vendidit, qui nongentos camelos ex eius ære onerauit.

g Chron. Oxon. 1. 90. vt ex in Euseb. Chron.

VII. DE MANICHEIS IN ARMENIA REGENTIB.

Quo eodem tempore Armenia ab iisdem Saracenis longe lateque deuastata est. Eam vero cladem hæc meruit prouincia, quod Manichæorum hæresis, tot ante Conciliis ac legibus Imperatorum sæpe sæpius iugulata, ibidem reuiuiscere cœpit subdolis artibus cuiusdam *Constantini* hominis Manichæi qui tamen quod videret Manichæos capitali vbique supplicio puniri, eorumque libros flammis tradi, quo facilius auditores suos in fraudem perduceret, fingens se Manetis doctrinam respuere, Basilidis aliorumq; antiquorum hæreticorum flagitia amplexus, nouus repente perniciosæ pestis ductor exiliit; solaque iactans Euangelica & Apostolica scripta, seque *Siluanum* illum esse mentiens, quem Paulus olim Apostolus in Macedoniam miserat, quamplurimos in errorem pertraxit. Qua de re certior factus Constans Aug. aduersus eos Palatinum quemdam Symeonem misit, qui pseudo Siluanum illum ab vno ex carissimis ipsius discipulis lapidis ictu occidendum curauit. Verum & ipse postea infelix *Symeon* ab iisdem Siluani discipulis misere seductus, eiusdemque impietatis successor factus, vt nomini suo famam eadem qua decessor arte conciliaret, *Titi* nomen (illius videlicet discipuli S. Pauli) sibi vsurpauit, multosque & ipse in errorem perduxit: donec occasione schismatis inter ipsum, & Iustum Siluani interfectorem, de interpretatione Scripturæ oborti, omnes ferme eiusmodi hæretici sub Iustiniano *h* Imp. eius nominis Secundo igne combusti sunt: qui tamen rursum sub Leone Isaurico repullularunt, vt dicetur suo loco. Hæc autem, quæ multis annis gesta breuiter in vnum congessimus, desumpta sunt ex veteri historia *Petri Siculi*, qui aduersus Manichæos egregium edidit commentarium ad Archiepiscopum Bulgariæ, quem nondum editum custodit Vaticana Bibliotheca: floruitque sub Basilio & filiis Imperatoribus anno Christi octingentesimo septuagesimo, cum adhuc vigerent in Oriente eiusmodi hæreses.

h Ap. Baro. an. 685.

IESV CHRISTI AN. 654.

EVGENII AN. I.

CONSTANTIS AN. 13.

I. S. MART. PP. OBITVS. *

ANNVS Christi sexcentesimus quinquagesimus quartus, cœptus est Indictione duodecima: quo *S. Martinus* Papa ærumnis confectus Chersonæ in Ponto, inchoata iam Indictione decimatertia, ex hac vita migrauit duodecima die mensis Nouembris, qua ab Ecclesia Catholica colitur vt martyr: cuius corpus multis miraculis coruscans, Romam postea (licet tempus ignoretur) translatum est, & in Titulo Equitij collocatum. Sed & ab ipso adhuc viuente cæcum in Oriente illuminatum fuisse, fidem facit qui eodem tempore vixit S. Audoenus Rotomagensis Episcopus in Rebus *a* gestis S. Eligij Nouiomensis, dum eiusdem S. Martini gloriosum martyrium summis laudibus prædicat. A populis quoque Septentrionalibus magna veneratione coli eius apud Chersonam sepulchrum, variaque curationum signa ibidem edi solita, & iam olim testatus est Gregorius Papa Secundus scribens ad Leonē Isauricum; hodieque id ipsum factitari, qui eas regiones peragrarunt tradunt. Vnde in eam sententiam imus, vt etsi corpus eius Romā delatum est, pars tamen aliqua Chersonæ remanserit, vendicantibus eum vt suum martyrem incolis Christianis. Vbi autem Romæ eius obitus innotuit, nullus alius quæsitus est qui ipsi succederet, sed qui tunc sedere per imaginem saltem EVGENIVS (vt diximus) inuentus est, accedente rursus semel antea lato Cleri consensu legitime sedere cœpit: vt nonnisi ab hoc tempore eius Pontificatus tempus sit numerandum.

a Cap. 34. ap. Sur. 1. Dec.

EVGENII LEGITIM. PONTIF.

[* Qui in literis ab vno ex eius exilii comitibus ad Occidētales scriptis, itemque in Hypomnestico quod habetur in Collect. Anastas. Biblioth. disertè asseritur contigisse die decimasexta Sept. qua celebratur memoria S. Euphemiæ virg. & mart. Indict. decimaquarta]

II. IMP. VINCITVR A SARAC.

Hoc eodem anno Constans Imp. à Saracenis nauali prælio superatus est apud Phœnicem Lyciæ; ipseque in maximum vitæ discrimen adductus, vix mutata veste fugiens saluus euasit, & de relictis omnibus Constantinopolim se recepit. Sic enim vox sanguinis iusti Abel, Martini inquam, clamauit in perfidum ipsum Imperatorem, qui instar Cain nonnisi in fuga nouit speraire salutem. Quomodo autem ista se habuerint à Theophane *b* narratur pluribus. Qui & ait, cum nocte prælium præcedente Imperator somniasset se esse Thessalonicæ, id ei coniectores interpretatos esse de futura clade, per vocabula inuicem separata, *Sic κλῶν νικῶν Cede alteri victoriam.*

b Theoph. an. 13. Const. Imp.

III. VIOLATOR SEPVLCHRI CORREPTVS DIVINITVS.

Hoc item anno Rotharis Rex Longobardorum Arianus, vbi regnasset annos sexdecim & menses quatuor, moriens Regnum reliquit filio Rodoaldo. Quo iuxta basilicam S. Ioannis Baptistæ humato, cum post aliquod tempus quidam noctu aperto sepulchro, omnia corporis ornamenta abstulisset; hic eadē causa per visionem à B. Ioanne grauiter increpitus, quod licet Rotharis Arianus fuisset, tamen eidem Sancto se commendasset, quotiescunque deinceps ingredi vellet dictum S. Ioannis ecclesiam, confestim valide repulsus, retro ruere cogebatur. Rem probe testatam narrat Paulus *c* diaconus: ex quibus obserues, nec impiorum preces interdum despicere Sanctos, vel irremuneratas relinquere præmio saltem aliquo temporali: siquidem & creator omnium Deus solem suum oriri facit super bonos & malos.

c Paul. diac. lib. 4. de gest. Longob. c. 48.

IV. DE S. FOLLIANO, ET SOCIIS MART. d Martyr. Belg. vlt. Octob. e Ibid. 12. Nouemb. ZELVS HIBERN. ET SCOT.

Hoc eodem Redemptoris anno *Follianus* Fossensis Episcopus natione Hibernus, qui à S. Martino Papa prædicandi Gentibus Euangelium auctoritatem acceperat, martyrij coronam suscepit vna cum tribus discipulis: quorum Acta tu vide in Martyrologio *d* Belgico, quod Molanus illustrauit: sicut & *Leuini* Gandensis Episcopi, qui eidem comes in hac sit & magister extitit; occubuit autem multis vulneribus confossus, dum prædicationi Euangelicæ instaret apud Escham. Etenim sancta his temporibus pertigit æmulatio Hibernos & Scotos religionis Christianæ cultores. Quod enim scissent, ab Vrbe complures in Britanniam ad Anglorum conuersionem sanctos viros missos, & ipsi hactenus id non sine culpa neglexisse visi essent, quod ob locorum propinquitatem commodius peragere potuissent; complures ex ipsis paternis egressi domibus ad prædicandum gentibus Euangelium profecti sunt, vt ex Beda apparet, & nonnullorum Sanctorum vitæ Actis omni fide cōscriptis. Sed auctor, vt ex Hibernia eiusmodi homines transferrentur in Gallias, vel alias eius regiones, fuit *Vincentius* Comes Hannoniæ, qui vxorem habuit consanguineam Regis Dagoberti beatissimam Waldetrudem: missus enim à Francorum Rege in Hiberniam, inde secum duxit strenuos fidei prædicatores, Follianum, eiusque germanum Furseum, cum aliis quos egregia sanctitas decorauit: sed & ipse Vincētius excultus manu S. Authberti Cameracensis Episcopi, tandem monastico susceptio habitu sese totum CHRISTO addixit, & in Sanctorum *f* album post obitum relatus est.

DE S. VINCENTIO COMITE HANNON.

f Molan. 14. Iul.

IESV CHRISTI AN. 655.

VITALIANI AN. 1.

CONSTANTIS AN. 14.

I. EVGENII PP. OBITVS.

ANno Domini sexcentesimo quinquagesimo quinto, Indictione decimatertia, die secunda Iunij, Romæ diē obiit *Eugenius* Papa; sepultusque est apud S. Petrum. Cuius sedes cum vacasset (vt ait Anastasius) mensem vnum & dies viginti nouem, siue vt habet alia lectio, dies viginti tres; in eius locum subrogatus est VITALIANVS, filius Anastasij, patria Signinus prouinciæ Campaniæ. Qui ex more Apocrisiarios, siue Reponsales suos confestim ad Imperatorem Constantinopolim misit, cum Synodica de fidei Catholicæ cōfessione; quos Imperator benigne suscepit, confirmatisq; priuilegiis Romanæ Ecclesiæ, per eosdem misit ad Papam sacrosanctum Euangeliorum librum gemmis albis miræ magnitudinis exornatum, offerendum basilicæ S. Petri Apostoli. Ita plane callidus Princeps, quo rebus Occidentalis Imperii bene consultum esset, conatus fuit muneribus saltem demerere Clerum Populumque Romanum, quos se sciret sibi infensos reddidisse per eiectionem S. Martini Pōtificis. Et quamuis Anastasius hæc referens, non dicat illum emisisse fidei Catholicæ professionem; æque tamen id possumus intelligere, nihilque penitus prætermisisse quo Catholicus forinsecus hominibus appareret. Sed & cum eadem legatione Vitalianus literas dedisset ad Petrum Constantinopolitanum Episcopum, hortans eum ad fidem Catholicam amplexandam; rescripsit ille se profiteri quæ docuissent veteres Patres, quorum etiam adnexuit testimonia: sed quanta id fraude fecerit, circumcisis iis & detruncatis, detectum est postea in Sexta *a* Synodo.

VITALIANI ELECTIO.

FRAVS CONSTANTIS IMP. ET PETRI EPISCOP. CONST.

a Sext. Synod. Act. 13.

II. PROPAGATVR RELIGIO IN ANGLIA.

Contigit hoc eodem anno latius propagari in Anglia Christianam religionem, cum eam Mercij & Orientales Saxones amplexi sunt, opera *Osvvi* Regis Nordanhumbrorum Christiani, & prædicatione *Cedd* Episcopi Apostolici plane viri: conuersio ab eodem Osvvi, Sigeberto Rege Orientalium Saxonum, & deuicto Penda Gentili Merciorum Rege crudelissimo, qui cum tricies maiori exercitu aduersus Osvvi processerat: ad quem in prælio obtinendum, vouerat Osvvi filiam suam Domino sacra virginitate dicandam offerre, & multa prædia ad construenda monasteria donare: quod & præstitit post victoriam adeptam. Rex vero Sigebertus paulo post susceptam Christianitatem, necatus est à duobus suis propinquis, non alia de causa (vt confessi sunt) quam quod ille nimium indulgens esset in condonandis iniuriis. At per hanc eius mortem innnoxiam expiauit Deus aliam veram ipsius culpam, qua communicauerat vni ex iis qui eum occiderunt, quem Cedd Episcopus ob illicitum coniugium excommunicauerat. Et quamuis veniam culpæ Rex ab Episcopo summa humilitate petiisset, nihilominus vltus est Dominus, secūdum viri sancti prædictionem, eius inobedientiam. Vnde discant Principes, aliique omnes, quanto suo damno non pareant sacerdotibus, quantaque iactura quis communicet excōmunicatis. Hæc autem cuncta quomodo se habuerint, pluribus describit Beda *b*.

REX OCCISVS OB CHRISTIANAM MANSVETVDINEM.

b Bed. hist. Ang. lib. 3. c. 22 & 24.

III. CONCIL. TOLET. IX.

Hoc item anno in Hispania celebratum est mense Nouembris TOLETANVM CONCILIVM, Nonum dictum, Æra nimirum sexcentesima nonagesima tertia, Regisque Reccesuinthi anno septimo; cui interfuerunt Episcopi sexdecim, præter Abbates & Vicarios Episcoporum absentium, præfuitque *S. Eugenius* eiusdem ciuitatis Episcopus, eius nominis secundus; ac sanciti sunt canones septemdecim, de rebus, bonis, & personis ad Ecclesiam pertinentibus; quos tu consulas.

IESV CHRISTI AN. 656.

VITALIANI AN. 2.

CONSTANTIS AN. 15.

I. IMP. LABORAT SVBVERTERE MAXIMVM.

ANno Christi sexcentesimo quinquagesimo sexto, Indictione decimaquarta, ab Imperatore Constante, & Petro Constantinopolitano Episcopo, decreta est legatio ad Maximum Abbatem confessorem, Byziæ in Thracia exulantem, quo eum in errorem Monothelitarum perducerēt: missique fuere Theodosius & Paulus Patricij & Proconsules, atque alter Theodosius Cæsariensis in Bithynia Episcopus, vir omnium eius sectæ doctissimus. Hi autem cum diu contulissent cum Maximo, tantum abfuit vt eum à cœptis reuocauerint, vt contra ipse eosdem summa potentia veritatis in suam sententiam traxerit; & ad iurandum adegerit, se abiecta hæresi Catholicam fidem amplexuros: sicque reuersi sunt ad Imperatorem, quo & ipsum in eandem sententiam perducerent. At vero assentiri renuens Imperator, misit rursum eundem Paulum Patricium, qui Maximum honorifice Constantinopolim duxit, constituitque in monasterio S. Theodori: sed cum illuc statim ad eum, duriorem misisset Imperator aliorum Patriciorum legationē, iidemq; nec verbis, nec factis admodum illiberalibus, eum commouere potuissent vt communicaret Ecclesiæ Constantinopolitanæ hæresi pollutæ, eundem omnibus rebus exutum, variisque calumniis oneratum, Perbera locum Thraciæ deterrimum in finibus Imperij situm in exilium amandarunt. Quæ omnia exacte narrantur in ipsis earum rerum Actis, quæ tunc scripta fuerunt ab aliquo qui omnibus præsens extitit; quæ & postea Anastasius Maximi discipulus, vna cum aliis eiusdem rebus gestis simul collegit; extantque in codicibus Bibliothecæ Vaticanæ, quorum superius facta est mētio. Quomodo vero demum martyrium consummarit, dicetur anno sequenti.

ALIVD DETERRIMVM MAXIMI EXILIVM.

II.

a Syn. Sext. Act. 16.

Interea qui obniti hactenus visus est veritati, Imperatoris fauens prauis affectibus, Petrus Patriarcha Constantinopolitanus, vbi sedisset annos duos (corrupte apud Nicephorum leguntur duodecim) & menses tres, mortuus est; atque in eius locum subrogatus *Thomas*. Qui cum in Synodo *a* Sexta asseratur fuisse Catholicus, in eo deprauata esse eiusmodi Acta, (quod & in multis aliis eidem Synodo accidisse à mala manu Theodori Constantinopolitani Episcopi videbitur suo loco:) satis constat ex iisdem S. Maximi sincerissimis Actis, in quibus idem Thomas recensetur cum Monothelitis aduersus Maximum sedisse.

III. CONCIL. TOLET. X.

DE DIE CELEBRANDÆ ANNVNTIATIONIS.

b Vid. inf. an. 1004.

Celebratum est hoc anno Calendis Decembris *Toleti* CONCILIVM, quod numeratur Decimum, Æra nimirum sexcentesima nonagesima quarta, annoque Reccesuinthi Regis octauo; cui interfuerunt Episcopi viginti, Vicarij vero absentium quinque; præfuitque *S. Eugenius* Toletanus Metropolitanus, ac sanciti sunt canones septem. Primoque loco statutum, vt dies festa Incarnationis Verbi, nempe *Annuntiationis* Deiparæ, celebraretur ante octo dies à Natali Domini, eo quod quando reuera mysterium illud incidit, Ecclesia vel Ieiunij Quadragesimalis pœnitentia, vel celebritate Paschæ teneri soleat occupata. At visum postea *b* ob excellens mysterium, nonnisi ea die qua contigit celebrari debere.

IV. POTAMIVS EPISCOPVS IPSVM ACCVSAT.

Post conditos vero canones, cognita est causa Potamij Episcopi Bracarensis; qui (quod mirum visum fuit) nemine accusante, se ipse prodens abdicansque, libellum obtulit sui lapsus & pœnitentiæ: videlicet confessus se tactu femineo sordiuisse, indeque per nouem ferme iam menses sponte deseruisse regimen Ecclesiæ suæ, & ergastulo cuidam pro admisso flagitio acturum pœnitentiam se conclusisse. Cuius rei gratia in lacrymas vniuersa conuersa Synodus, licet illum antiqui canones honore priuari decernerent; tamen eius miserata, reseruauit illi nomen honoris, quod ipse sibi sui criminis confessione iam abstulisset; sed ita vt iusserit eum perpetuæ pœnitentiæ inseruire: in ipsius vero locum præ-

posuit

posuit Ecclesiæ Bracarensi *S. Fructuosum*, Ecclesiæ Dumiensis anteà Episcopum, ex Regio Gothorum sanguine ortum, Ducis filium, multorumque monasteriorum conditorem & patrem. Aduertendum autem, citatum à Patribus Synodi ad condemnationem Potamij canonem, non aliquem fuisse ex canonibus pœnam infligentibus eiusmodi lapsis, sed canonem Concilij Valentini Galliæ, aduersus eos qui sua sponte proderent culpam: quos quidem omnino damnandos esse voluere; nam siue re vera peccatum admisissent, ob peccatum puniendi; si vero non admisissent, ob mendacium plectendi forent: de quo dictum est suo loco.

CANON DE CLERICIS PUBLICES VACRINA PRODENTIBUS.

IESV CHRISTI AN. 657.
VITALIANI AN. 3.
CONSTANTIS AN. 16.

I. S. MAXIMI INSIGNE CERTAMEN PRO FIDE CATHOL. [a Nisi potius hæc Iudicum quæstio exilium Maximi præcesserit, quod eiillatum ante biennium.]

ANno Domini sexcentesimo quinquagesimo septimo, Indictione decima quinta, S. Maximus Abbas, amboque Anastasij quos vna cum eo in exilium pulsos vidimus, Constantinopolim reuocati sunt *a* ad dicendam causam de calumniis, quibus à suppositis testibus accusarentur, quasi Imperium hostibus prodidissent, & in Imperatorē dira oblocuti essent: illud agentes perfidi Monothelitæ, vt eos à Catholica fide diuellerent, & Constantinopolitanæ Ecclesiæ hæresi pollutæ communioni sociarent, à qua viderent quam plurimos eorum constantia commotos recedere. Cum igitur Constantinopolim ducti, ibique impulsu potissimum Thomæ Patriarchæ, diuersis diebus & in Senatu & alibi interrogati, atque omnibus artibus tentati, nunquam à sententia dimoueri potuissent; tandem Præfecto Vrbis puniendi traditi, Maximus quidem septuaginta iam & quinque annos natus, ipsiusque discipulus Anastasius, qui ei annis triginta septem comes inhæserat, primo distentis neruis adeo crudeliter cæsi sunt, vt nullum membrum à plagis sanum relictum fuerit; sicque in carcerem coniecti, postero die rursum educti ambo lingua præcisi sunt. Cum vero ingenti miraculo nec sic desisterent æque articulate atque antea loqui, iisdem crudelissime restibus tormentisque laceratis, dextræ manus amputatæ sunt; ac demum ludibriis atque dicteriis per medium forum circumducti, nudi omnibusque omnino Rebus destituti in exilium rursum emissi sunt, vna cum altero Anastasio æque ipsius Maximi discipulo; quem licet & ipsum flagellis cæciderint, reliqua tamen pepercerunt ei inferre supplicia, respectu muneris quo functus fuerat Apostolicæ Sedis Apocrisiarij.

LOQVNTVR MARTYRES LINGVIS ABSCISSIS.

II. S. MAXIMI CONSVMMATIO MARTYRII

Perductus autem Maximus in quoddam Alaniæ castellum, Schimarim dictum, (nam reliqui duo in diuersa regionis Abasgorum loca, ab inuicem diiuncti emissi sunt) ibique conclusus detentus, demum Indictione quinta, obitus die diuinitus præcognito, migrauit in cœlum Idibus Augusti: cuius monumentum tres lucidæ faces ingenti splendore illustrare visæ sunt. Quæ quidem omnia summatim recensita, desumpta sunt ex prolixioribus Actis eodem ipso tempore summa fide conscriptis, quorum iam sæpe mentionem habuimus. Quibus insuper adstipulantur Theophanes aliique historici Græci, simul cum Latinis auctoribus: ita vt gloriosum S. Maximi martyrium, tam in Oriente quam Occidente Scriptorum omnium monumentis fuerit celebratū, ac Tabulis Ecclesiasticis insertum, accedatque ad gloriam tanti Martyris, quod sui nobilissimi ingenij, & fidei Orthodoxæ, permultas atque præclarissimas post se lucubrationes *b* reliquit, quas Bibliotheca Vaticana custodit; estque earundem ferme omnium apud Photium mentio. Ex iis vero cum aperte videre sit, quam fuerit Orthodoxæ fidei & paternatum traditionum in omnibus custos tenacissimus, atque etiam Romanæ Ecclesiæ obsequantissimus: est inter alia plurima egregium de hac re testimonium in epistola quam scripsit ad Marinum; vbi hæc ipsius reperiuntur verba, *Omnes termini terræ, & quicunque vbique terrarum Christum Dominum pura mente & Orthodoxa fide confitentur, quasi ad Solem æterni luminis, ad sanctissimam Romanorum Ecclesiam, & eius confessionem & fidem intenti respiciunt, ex ipsa rutilantem splendorem recipientes spiritualium & sanctorum dogmatum: quemadmodum Sex illæ sanctæ Synodi sacræ disertis verbis, & magna cum religione exposuerunt, apertissime pronuntiantes fidei Symbolum. Ab initio enim aduentus Incarnati Verbi, vniuersæ vbique terrarum Christianorum Ecclesiæ à sancta Romanorum Ecclesia originem habuerunt, & fundamentum solum & maximum, contra quod nullo pacto portæ inferi prævalebunt, iuxta ipsiusmet Saluatoris nostri promissionem; vt habeat scilicet Claues Orthodoxæ in ipsum fidei & confessionis, & aperiat illis qui ad ipsam Romanam Ecclesiam cum pietate accedunt, veram & realem & solam pietatem quærentes; & claudat econtra & obstruat omne os hæreticum, quod loquitur iniquitatem in cœlum, &c.* Hæc ille Theologus sua ætate præcipuus, & martyrij titulo egregie insignitus: atque de illo hactenus.

b Retenset earum argumenta Baron. Ann. Tom. VI. hoc an. ex tribus codd. Vatic. nu. 335, 336, 337 extantque nonnulla adhuc.

DE ROM. FIDE ET ECCLESIA, TESTIMONIVM MAXIMI. *Quod quidem habetur apud Baron. alia occasione Tom. X. an. 807. n. LXXII. c Mart. 16.*

Hoc eodem anno, qui & numeratur nonus Recceſuinthi Hispaniarum Regis, *S. Eugenius* Toletanus Episcopus, eius nominis Secundus, mortuus est Idibus Nouembris: de cuius vita in clericatu & monachatu optime instituta, præclarisque lucubrationibus agit S. Ildefonsus *d*, qui ex monachorum præfecto successit eidem in Episcopatu Toletano. Sed & ipsius *Ildefonsi* tanta fuit morum sanctitas, vt multis miraculis claruerit, atque etiam aliquando non solum mirabili S. Leocadiæ virginis & martyris publica manifestatione honoratus fuerit; sed etiam cum immenso arderet sanctissimæ Dei Genitricis amore, (cuius & laudes, cultumque in suis opusculis copiose prosecutus est) dignum illum eadem misericordissima Virgo censuerit, quem præsentia corporali visitaret in suæ solemnitate Assumptionis, siue, vt habet antiqua traditio Ecclesiæ Toletanæ, in die solemnitatis Expectationis eiusdem Deiparæ, quæ ibidem celebrari consueuit die decima octaua Decembris: cum videlicet ipse ante horas matutinas ex more ecclesiam ingressus ad orationem, reperit illam in cathedra Episcopali sedentem; quæ ei vestem candidissimam dedit & dona, spiritualia impertiit, ac vitam æternam promisit. Cuiusmodi historiæ non solum recensentur in Rebus gestis eiusmodi S. Ildefonsi, quas paulo post eius obitum Iulianus (non ille Toletanus Episcopus, sed alius eiusdem Ecclesiæ diaconus) in præfatione voluminis S. Ildefonsi de laude B. Virginis contexuit: (vbi & addit, inde factum esse vt eam cathedram nullus Episcopus adire postea tentauerit; præter Sisibertum, qui statim eam perdens exilio relegatus est:) sed prædictæ Deiparæ apparitionis insuper meminit canon vndecimus Concilij in Hispania ad Pennam Fidelem, sub Ægidio Episcopo Toletano habiti anno Domini milesimo trecentesimo secundo, cum decreuit vt solemniori & duplici officio eiusdem S. Ildefonsi festiuitas celebraretur. Hisque omnes penitus qui res Hispaniarum Ecclesiæ scriptis sunt prosecuti, & (quod magis est) Romanum ipsum Martyrologium decimo Calendas Februarij absque controuersia adstipulantur.

III. d *Ilef. de Vir. Illustr.* S. DEI GENITRIX APPARET ILDEFONSO.

Hoc item anno, qui numeratur vndecimus Sigeberti Francorum Regis, ipse ex hac vita migrauit; quamuis alii decem tantum vixisse annos tradant, alii toto cœlo errantes dicant peruenisse ad annum Domini sexcentesimum sexagesimum secundum. Constat *e* autem ipsum ob egregias animi virtutes, præclaraque pietatis opera, à maioribus relatum esse inter Sanctos, colique diem natalem eius Calendis Februarij: de cuius etiam miraculis scripsit libellum Sigebertus Gemblacensis. Qui quidem Rex cum frænum iniiciens indomitæ dominandi cupiditati, paterni regni ipse maior natu minorem sibi sumpsisset partem Austrasiæ, maiorem vero totius ferme regni cessisset minori fratri Clodoueo; bene vsus pace, cum ab externis & à ciuilibus bellis quiesceret, sese totum monasteriis erigendis, aliisque pietatis operibus mancipauit. Cum vero reliquisset vnicum filium, eundemque adhuc puerum nomine Dagobertum, adoptato iam antea, cum prole careret, Ildeberto filio Grimoaldi Maioris domus: huius Grimoaldi arte, post patris mortem, Dagoberto puero in Scotiam amandato, ipsoque Ildeberto à Clodoueo Sigeberti fratre in bello perempto; idem Clodoueus potitus regno Sigeberti, ipsum Childerico filio suo secundogenito tradidit, adolescenti (vt aiunt) leuissimo, & ad omnem prauorum impulsum facile mobili.

IV. OBITVS, ET PIETAS S. SIGEB. FRANCOR. REGIS. e *Molan. Natal. SS. Belg. die 1. Febr.*

IESV CHRISTI AN. 658.

VITALIANI AN. 4.

CONSTANTIS AN. 17.

I. ANNO Christi sexcentesimo quinquagesimo octauo, Indictione prima, Thomas Constantinopolitanus Episcopus, vbi sedisset (vt habet Nicephori Chronicon) annos duos & menses septem, mortuus est; & in eius locum subrogatus *Ioannes* eiusdem Ecclesiæ Syncellus & Custos vasorum. Hic quoque in Sextæ Synodi Actis prædicatur Catholicus; sed perperam, vt & de eodem Thoma dictum est superius.

II. REX SARACEN. TRIBVTVM PENDIT IMPERATORI.

Eodem anno, Constãtis Imp. decimoseptimo, (vt Theophanes habet) pax sancita est inter Romanos & Saracenos; cum Mahuvias istorum Princeps suorum seditione compulsus, ad Imperatorẽ misit, pacis nomine in singulos dies ab Arabibus mille nummos depensum iri promittens, & equum, & seruum.

III. a *Sigeb. in Chron. Molan. de SS. Belg.* S. THEODARDI MARTYRIVM: b *Ap. Sur. 10. Sept.*

Hoc item anno *a S. Theodardus*, natione Gallus, professione monachus, qui ex Abbate monasterij Stabulensis (vnius ex duodecim, quæ erexisset in Austrasia Rex sanctissimus Sigebertus) inuitus fuerat constitutus Episcopus Leodiensis in locum defuncti *S. Remacli*; martyrij coronam adeptus est, cum Childericum Regem adiens, vt bona Ecclesiæ à quibusdam ablata, restituenda curaret, ab iisdem in itinere gladiis confossus est, & membratim discerptus: cuius extant *b* Acta scripta, vel restituta potius, à Sigeberto Gemblacensi. Successit vero ipsi *S. Lambertus*, discipulus & ipse S. Remacli, & martyrio pariter coronatus, vt suo loco videbitur.

IESV CHRISTI AN. 659.

VITALIANI AN. 5.

CONSTANTIS AN. 18.

I. CONSTÃS IMP. FRATREM SVVM DIACONVM OCCIDIT.

ANNO Christi sexcentesimo quinquagesimo nono, Indictione secunda, Imperator Constans anno regni sui decimooctauo, fratrem suum Theodosium ob quamdam offensam diaconum consecrari fecit: eundemque paulo post nece auferens, fratricidium sacrilegio magis infamauit. Sed haud impune: exegit enim fusus sanguis innocẽs à Deo vindictam, vt omnibus vitæ suæ diebus, instar Cain, conscientiæ stimulis agitatus, profugus & vagus viueret super terram. Cum enim idem Theodosius, qui in sacrosanctis mysteriis poculo CHRISTI Sanguinis Constãtem impertierat, eidem crebro per quietem appareret habitu diaconi poculum sanguine plenum porrigens, ac dicens, *Bibe frater*; eius visionis frequentia victus infelix Imperator, statuit in Siciliam secedere. Itaque relictis Constantinopoli vxore cum tribus filiis, nauem conscendens, cum soluisset conuersus retro vrbem ipsam conspuit. In Sicilia vero Syracusas sibi delegit vbi vitam ageret; quo & statuit Imperium Romanum transferre, quod inuisus esset ob Monothelitarum hæresim, aliasque prauas de religione opiniones; sed cum misisset qui vxorem & liberos adducerent, Constantinopolitani eos dimittere noluerunt. Hæc Annales *a* hoc anno exhibent. Agit vero Anastasius de Imperatoris Romam aduentu, antequam in Siciliam se conferret: sed de eo dicetur inferius. Porro nec in Sicilia insomnium illud vexare ipsum desiisse, ex iisdem Annalibus constat.

DIVINA VLTIONE EXAGITATVS SECESSIT IN SICILIAM.

a *Theoph. Cedr. an. 18. Const.*

II. SARACENI RVRSVM INVADVNT IMPERIVM

Hoc eodem anno, qui bello ciuili suorum depressus Mahavias Princeps Saracenorum, pendere delegerat tributum Constanti Imperatori; iam exigẽtibus eiusdem Augusti peccatis, æmulo suo Hali nece sublato, solus absque timore imperans, aduersus Persas primum, inde aduersus Romanos sese erexit.

Eodem anno Rex Longobardorum Rodoaldus, vbi regnasset annos quinque, & dies septem, occisus est à Longobardo homine, cuius vxorem adulterio polluerat. Huius tempore illud memoria dignum contigisse Paulus *b* Diaconus refert, vt eiusdem ipsius Regis coniuge adulterij accusata, quidam Reginæ seruus Carellus nomine à Rege expetierit, vt cum eo qui Reginæ crimen ingesserat, pro eius castitate singulari certamine dimicare liceret, eaque re impetrata, idem Carellus, astante cuncto populo, calumniatorem superauerit, sicque Regina pristinæ dignitati restituta fuerit. Qua quidem origine inuexerunt barbari in Italiam, detestandã eiusmodi consuetudinẽ, vt monomachia iurgia definirent; qua sicut nihil crudelius, ita nihil stultius potest excogitari, cum nequaquam semper in vnoquoque bello victoria iustitiam consequatur, sed occulto Dei iudicio declinet interdum ad eum qui causam malam foueat. Ceterum successit Rodoaldo Regi Aripertus filius Gundibaldi, qui fuerat germanus Theodolindæ Reginæ.

III. b *Paul. diac. lib. 4. c. 49. 50.* MONOMACHIA INTRODVCTA IN ITALIAM.

IESV CHRISTI AN. 660.

VITALIANI AN. 6.

CONSTANTIS AN. 19.

I. CLODOVEVS FRANC. REX INCONCESSA TENTAT. a *Aimoin. lib. 4. c. 41.*

ANNO Christi sexcentesimo sexagesimo, Indictionis tertiæ, qui & numeratur Clodouei Iunioris Francorum Regis decimusquartus, cum vigeret in Gallia grauissima fames, idem Clodoueus argentum, quo pateræ eius Dagobertus apsidem sepulchri S. Dionysij & sociorum Martyrum operuerat, auferri mandauit, eiusque loci Abbati egenis dispertiendum tradidit. Hæc Aimoinus *a*, eiusmodi factum pietati adscribens, quod ab aliis vt sacrilegium condemnatur. Quid enim Principibus in iis quæ Deo semel dicata sunt? vel cur non ipse prius regios thesauros distrahebat, quam sacra tangeret? aut si tale quid perpetrari necessitas suaderet, non illæ quidem regiæ manus, sed sacerdotales esse debuerant; sicuti ab Ambrosio, Augustino, Exuperio, aliisque sanctis viris quamplurimis factum scimus. Denique tradit Sigebertus, eundem Regem adeo irreuerenter S. Dionysij corpus discooperuisse, vt & os brachij fregerit, rapueritque, ideoque mox in amentiam perpetuam incidisse. Verum assertio de amentia, videtur redargui ex iis quæ de eo dicentur post sequentem annum. Sed quod ad reliqua spectat; post huiusmodi facinus, collabi cœpisse regnum Francorum familiæ Morouingorum, & traditur in Appendice ad Aimoinum *b*; & patebit ex iis quæ de Clodouei successoribus scribentur.

QVANDO COEPIT DEFICERE REGNVM & FAMILIA CLODOVEI b *Ibid. l. 4. c. 44.*

IESV CHRISTI AN. 661.

VITALIANI AN. 7.

CONSTANTIS AN. 20.

I. OBITVS S. AMANDI FLANDRORVM APOST. a *Vita. M. Ian. 10. ad S. Ian. 5. Febr.*

ANNVS Christi sexcentesimus sexagesimus primus, Indictionis quartæ, rerum gestarum inopia tam in Oriente quam Occidente obscurus, veluti face magnopere illustratur in Gallia, natali sanctissimi viri *Amandi a* Traiectensis Episcopi, *Flandorum Apostoli* nuncupati; de cuius in conuersione Gentilium susceptis laboribus dictum est superius. Quid præterea hoc anno gestum sit, nihil inuenimus adeo memoria dignum.

IESV CHRISTI AN. 662.

VITALIANI AN. 8.

CONSTANTIS AN. 21.

I. a Aim. l. 4. c. 41. CONCIL. CLIPPIACVM.

ANNO Domini sexcentesimo sexagesimo secundo, Indictionis quintæ, Clodouei Francorum Regis decimo sexto, (vt Aimoinus *a* habet) apud villam *Clypiacum* territorij Parisiensis collecta est SYNODVS omnium propemodum Francorum gentis Episcoporum, & secularium Principum: vbi in expiationem, puto, admissi quod vidimus aduersus S. Dionysium sceleris, idem Rex omnium consensu, ipsiusque etiam Landerici Episcopi Parisiensis, eiusdem S. Dionysij monasterium, vna cum omnibus possessionibus suis, ab Episcopi Parisiensis, cui antea parebat, aliorumque omnium dominio liberum esse constituit; ita vt nulli (vt ait) præterquam Deo, & Sanctis in quorum honorem ædificatum fuerat, ipsisque Francorum Regibus, subiacere deberet, quo liberius monachi pro salute Regum ac statu regni Deum deprecarentur.

DEVILLEGIVM MONASTERII S. DIONYSII.

II. b Tom. 2. Concil. CONCIL. CABILONENSE.

Sed & sub eodem Clodoueo Rege (quoto autem anno ignoratur) celebrata reperitur *b* octaua Calendas Nouembris SYNODVS CABILONENSIS; cui inter alios Episcopos sanctitate celebres interfuisse leguntur, qui etiam in dicto Concilio Clypiacensi præsentes fuerunt, SS. Audoenus Rotomagensis, & Eligius Nouiomensis, præfuitque Gandericus Lugdunensis: à quibus omnibus constituti sunt canones decem & nouem, ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentes. Post quos legitur etiã epistola Synodalis ad Theodorum Episcopum Arelatensem; qui licet publicam iam ageret pœnitentiam ob publica peccata commissa, adhuc tamen citatus est causam dicere ad sequentem Synodum.

IESV CHRISTI AN. 663.

VITALIANI AN. 9.

CONSTANTIS AN. 22.

I. CONSTANS IMP. VENIT IN VRBEM.

ANNO Christi sexcentesimo sexagesimo tertio, Indictione sexta, Constans Imp. quinta die mensis Iulij Romam adueniens ad Limina Apostolorum visitanda, honorifice susceptus est à Vitaliano Papa, qui ei cum clero occurrit milliario sexto ab Vrbe. Pacifice enim adueniens, personam præsetulit hominis Orthodoxi: ideoque præcipuas ecclesias deuote visitans, dona etiam eis obtulit. Omnia tamen ærea ciuitatis ornamenta, tegulasque ipsas æreas ecclesiæ S. Mariæ ad Martyres, & alia ad ornatum Vrbis posita auferens, Constantinopolim direxit. Cumque duodecim dies Romæ egisset, inde petens Neapolim, postea itinere terrestri Rhegium accessit, ac demum Syracusas se recepit Indictione septima: vbi per multos annos commoratus, adeo immensis populos illos expilationibus tam sacrarum quam profanarum rerum afflixit, vt nunquam tales passi fuissent, nec aliqua spes vitæ eis remaneret. Hæc cuncta Anastasius in Vitaliano.

II. a Paul. diac. de gest. Longob. lib. 5. c. 7. 11. VATICINIVM DE REGNO LONGOB.

Quæ eadem describens Paulus *a* diaconus, multa commiscet de bello ab eodem Imperatore in Italia inaniter gesto aduersus Grimoaldum Regem Longobardorum, & eius filium Romoaldum Ducem Beneuentanum: quod antequam auspicaretur, cum eremitam quemdam consuluisset, qui prophetiæ spiritum habere dicebatur, ab eo responsum accepit, Longobardos superari non posse, quod S. Ioannes Baptista pro illis continue intercederet, ob basilicam ab illorum Regina in ipsius honorem in Modoetia cõstructam: futurum autem aliquando vt eadem ecclesia despectui haberetur, tuncque eam gentem perituram. Hæc pluribus Paulus quæ ex ipsius assertione *b* ante Imperatoris in Vrbem aduentum contigerunt. Veruntamen Grimoaldum Regem hoc ipso anno Ariperto successisse, constat ex quo dam eius edicto *c*, quod datum ponitur anno sexto ipsius regni mense Iulio Indictione vndecima. Quem quidem ex Ariano redditum esse Catholicum per S. Ioannem Bergomensem Episcopum & martyrem, traditur in Actis eiusdem Sancti. Cuius & rei certum reliquit ipse Rex monumẽtum, dum ex Paulo constat, ipsum erexisse basilicam sub titulo S. Ambrosij Mediolanensis Episcopi, quem liquet fuisse Arianorum acerrimum oppugnatorem. Bellicam autem eius virtutem, variasque expeditiones cum aduersus Græcos, tum contra suos rebellantes, describit etiam idem auctor.

b ibid. c. 34.

c Ext. ap. Sigon. de regno. Ital. l. 2. in Grimoalde: ex quo idem ipse Sigonius erroris arguitur, dum exordium Grimoaldi ponit anno Domini 661. GRIMOALDI REG. CONVERSIO.

IESV CHRISTI AN. 664.

VITALIANI AN. 10.

CONSTANTIS AN. 23.

I. a Niceph. in Chron.

ANNO Christi sexcentesimo sexagesimo quarto, Indictione septima, Ioannes Constantinopolitanus Episcopus, vbi sedisset *a* annos quinque & menses nouem, mortuus est; atque in locum eius subrogatus *Constantinus* diaconus eiusdem Ecclesiæ, & Vasorum custos ac Oeconomus; idemque Catholicæ communionis, Monothelitis penitus aduersarius, vt Sextæ *b* Synodi Acta (si tamen impostura careant) significant. Certe nihil prohibet quin vere potuerit esse Catholicus, Imperatore iam in Occidente inter Catholicos apparente Catholico.

b Synod. Sext. act. 14.

II. COLLATIO IN ANGLIA DE CELEBRATIONE PASCHÆ.

Quod ad res Anglicanæ Ecclesiæ pertinet; cum in provincia Mediterraneorum Anglorum, Nordanhumbrorum, & Merciorum, ex Scotia petiti præsiderent Episcopi, qui etsi in omnibus fide essent Orthodoxi, in celebratione tamen Paschatis minime cum Catholicis (vt sæpius dictum est) conuenirent: huius rei gratia factum est, vt hoc ipso Redemptoris anno sexcentesimo sexagesimo quarto, coram Rege Osvvi, eiusque filio Alchfrido (quorum ille Scotorum, iste Catholicorum partibus inhæreret) inter vtriusque partis sacerdotes de ea re disputatio haberetur: cuius is fuit exitus, vt auditis Catholicorum rationibus, nitentibus præcipue auctoritate Romanæ Ecclesiæ, & potestate S. Petro collata, Rex ipse Osvvi cum Episcopo Cedd de quo superius, & omnibus ferme aliis, relicta Scotorum opinione, Catholicis adhæserit. Describit hæc pluribus Beda *c*: qui & addit, disputatum præterea fuisse de tonsura coronæ clericalis, quam Scoti pariter recipere renuebant. Quomodo vero de eadem Paschatis quæstione, celebriori conuentu disputatum postea fuerit, suo loco dicturi sumus.

c Bed. 3. hist. c. 25.

III. CLODOVEI III. OBITVS.

Hoc eodem anno Clodoueus Francorum Rex diem obiit, vbi regnasset annos decem & octo, vt habet vetus Auctor qui appendicem affixit ad Gregorium Turonensem. Quod autem ait, circa vitæ finem mente captum fuisse; de eo dictum est superius. Reliquit vero tres paruulos filios, nempe Clotarium, Childericum, atque Theodoricum: quibus quæ ventura essent, iam ante Clodouei obitum demonstrata fuisse in visione S. Eligio Nouiomensi Episcopo, narrat S. Audoenus Rotomagensis in ipsius Rebus *d* gestis. Agemus & nos suis locis de iisdem.

d Ap. Sur. 1. Dec. lib. 2. cap. 31.

IV. MARTYRIVM S. AIGVLPHI.

Sub eodem Clodoveo (de anno vero non constat) contigit *S. Aigulphum* monachum, è Floriacensi monasterio ad præfecturam Lirinensis (in quo collapsa monastica disciplina videretur) vocatum, vna cum sociis à pseudomonachis illic degentibus in carcerem primo coniectum esse, deinde vero in ignobilem insulam inter Corsicam & Sardiniam perductum, ibi post linguæ abscissionem, & erutionem oculorum, supplicio capitis martyrium subiisse. Quo comperto, sceleris auctores post multa tempora iussu Clodovei Regis necati sunt. Habent ista pluribus eorundem Martyrum Acta *e*. Sed & docent (quibus & alij complures Scriptores adstipulantur) ipsum Aigulphum missum antea fuisse à Mummulo Abbate Floriacensi Cassinum, ad auferendas inde sacras Reliquias S. Benedicti Abbatis, addunt

e Ap. Sur. 3. Sept. DE TRANSLATIONE S. BENED. IN GAL.

alij *f*, & Scholasticæ sororis eius à Cenomanis vel Aurelianensibus esse sublatas. Siquidem ipsum cœnobium iam ante octoginta ferme annos deuastatum à Longobardis fuisse, ipsosque monachos maxima ex parte Romam translatos, superius vidimus ex S. Gregorio. Sunt tamen innumeri qui his translationibus contradicant. Porro antiquissimus omnium Paulus *g* diaconus, qui proximo sæculo vixit, & monachus in dicto Cassinensi cœnobio diem extremum clausit, quæstionem ita dirimit, vt dicat translata ossa fuisse, remansisse vero redactas in puluerem carnes: hocque modo ipse intelligit, quod inferius *h* agens de restitutione monasterij Cassinensis facta per Petronacem Brixianum, absque vlla dubitatione tradit corpus ipsum S. Benedicti illic fuisse: cuius hac in re auctoritas apud me plurimum valet. Vtcumque sit, venerati Fideles pie sancteque corpus integrum, vbi tenuis tantum puluisculus habeatur alicuius Sancti, quod eiusdem sit virtutis cuius & integrum corpus; docuimus supra ex Gregorio Nazianzeno in Iulianum.

f Paul. diac. lib. 6. c. 2.

g Id. lib. 2. c. 1.

h Lib. 16. c. 40. nona edit.

V. Transiit hoc eodem anno die decimaseptima Martij *i* ex hac vita insignis illa Virgo Deo dicata, Francorum nobilitatis decus, *S. Gertrudis* filia Pipini Ducis: cuius extant Res præclare gestæ, omni fide posteris traditæ. Sed & ipsius mater, *Tduberga* nomine & *Itta* cognomine, viduata Pipino viro, à S. Amando Traiectensi Episcopo sacrum religionis velamen accipiens, ita vixit vt & ipsa inter Sanctas *k* meruerit adnumerari. Has fixit beata illa familia in cœlo radices, ex quibus Francorum Regum progenies fœcundo cespite pullularet, vbi truncus vetus familiæ Clodouei arescere cœpit auitæ defectu virtutis.

i Martyrol. Rom. S. GERTRVDIS OBITVS.

k Melan. Natal. SS. Boig. 9. Mart.

IESV CHRISTI AN. 665.

VITALIANI AN. 11.

CONSTANTIS AN. 24.

I. LEGATIO EX ANGLIA AD VITAL. PP.

ANNO Christi sexcentesimo sexagesimo quinto, Indictione octaua, ex Anglia à Rege Nordanhumbrorum Osvvi legatio missa est ad Vitalianum Romanum Pontificem, vna cum vasis aureis argenteisque in basilicam S. Petri Apostoli deferendis. Qui enim anno superiori in Collatione habita, accepisset illam firmiter tenendam fidem quam Romana doceret Ecclesia, cui Petrus consignatum Euangelium reliquit; cum ingruente in Anglia lue, ex hac vita subductus esset Deus dedit Episcopus Dorouernensis, inito cum Ecgberto Cantuariorum Rege consilio, successorem ei ex consensu Cleri Wighardum presbyterum deligentes, eundem miserunt Romam, vt à Summo Pontifice Archiepiscopatus gradum acciperet, cum potestate ordinandi per omnem Angliam Antistites. Sed is in Vrbem perueniens, priusquam consecraretur Episcopus, morte præreptus est. Narrat hæc Beda *a*, litterasque recitat quas ea de re Vitalianus Papa ad eundem Regem Osvvi rescripsit. Quem autem pro Wighardo idem Pontifex in Angliam Episcopum miserit, dicetur inferius suo loco.

a Bed. lib. 3. c. 29.

II. S. ELIGII ORITVS.

Eodem Christi anno *b* admirandus ille Nouiomensis in Gallia Episcopus *S. Eligius*, huius sæculi splendor, de quo sæpe superius, *Flandrorum Apostolus* nuncupatus, (quippe qui tam in illis, quam aliis vicinis populis ad fidem Christi conuertendis, & optimis moribus informandis, multum insudarit) in ipsa Nouiomensi ciuitate ex hac vita migrauit, miraculis & in vita & post mortem celeberrimus, & egregiis factis perinsignis; cuius præclaras Res *c* gestas vir æque sanctitate clarus Audoenus eius æqualis Rotomagensis Episcopus tribus libris digessit: extantque *d* eiusdem nomine sexdecim homiliæ. Eius corpus cum Regina Bathildis Clodouei relicta, pientissima fœmina, & ipsius S. Eligij studiosissima, quæ cum paruulis filiis regnabat, in monasterium Calam ab ipsa erectum transferre vehementi cuperet desiderio, alij vero Parisios deducere conarentur; neutri ipsum vllo prorsus modo mouere loco potuerunt: sed cum ab ipsis ciuibus Nouiomensibus leuari cœptum est vt ad sepulchrum ei in eadem vrbe præparatum transferretur, mira facilitate motum est; eiusque theca ac monumentum, tam ab ipsa Regina, quam reliquis proceribus, infinitis aureis argenteisque atque gemmeis donis ornatum. Et quæ ab eo viuente commoneri consueuerat eadem Regina, post ipsius obitum, eiusdem iussu cuidam aulico in visione apparentis, correpta est, quod cum esset vidua, regalibus tamen indueretur indumentis aureis gemmatisque. Quapropter mox ipsa illis depositis, pauperibusque distributis, vel in alios pios vsus collatis; relicta postmodum filiis suis administratione Regni, sumpto habitu monastico in eo ita vixit, vt post mortem in Sanctarum *e* album referri meruerit.

b Sigeb. in Chron.

c Ext. ap. Sur. 1. Dec.

d In Bibl. Patr.

MIRACVLVM DE S. ELIGII CORPORE. BATHILDIS REGINA DIVINITVS MONITA ADDICARE ORNATVM.

e Martyrol. Rom. 17. Ianuar.

Hoc pariter anno ex hac vita decessit magnæ vir sanctitatis *Wandregisilus f* sacerdos: qui ex consobrino genitus Pipini Ducis Austrasiorum, Comes Palatinus apud Dagobertum Regem obligatus coniugio, cum vxore virgine & ipse virgo religionis ergo virginitatem seruare pari consensu decreuit; attonsusque est in clericum, atque eius vxor velata. Sane quidem videas his temporibus, quibus densa caligine Oriens obscurabatur, elucescere splendoribus Sanctorum Gallias & Britanniam.

III. S. WANDREGISILO.

f Ext. eius Acta ap. Sur. 22. Iul.

IESV CHRISTI AN. 666.

VITALIANI AN. 12.

CONSTANTIS AN. 25.

I. THEOD. IMPIVS EPISC. CONST.

ANNO Christi sexcentesimo sexagesimo sexto, Indictione nona, Constantinus Patriarcha Constantinopolitanus, vbi sedisset *a* annum vnum menses duos & dies septem, mortuus est; subrogatusque in eius locum *Theodorus* presbyter Syncellis & Custos vasorum, hæreticus omnium impudentissimus, versipellis, Monothelitarum sectæ propugnator audacissimus; de quo sæpe inferius.

a Niceph. in Chron.

II. CONCIL. EMERITEN.

Hoc eodem anno, qui numeratur decimusoctauus Recessuinthi Hispaniarum Regis, Æra septingentesima quarta, celebratum est CONCILIVM EMERITENSE, duodecim comprouincialium Episcoporum Lusitaniæ: cuius sunt canones viginti tres, ad optimum Ecclesiæ statum disponendum spectantes. Sed memoria dignum quod iubet canon tertius, vt cum Rex in bello detineretur, quotidie in singulis ecclesiis sacrificium Deo pro ipsius, exercitusque salute offerretur. Sed & illud recens institutum *b* est, nisi presbyteri ab Episcopis impedimento aliquo detentis vicarij ad Synodos mitterentur; iisdemque sedere à tergo Episcoporum concederetur, diaconis autem nullo modo. Itemque salubriter decretum *c*, nequis defuncto Episcopo quoquo modo detraheret, aut malum quicquam de eo loqueretur. Atque etiam, vt cui plures *d* ecclesiæ ob pauertatem ipsarum essent concreditæ, in earum singulis singula sacrificia Dominicis diebus offerre deberet. Reliqua tu consulas.

SACRIFICIVM QVOTIDIANVM PRO REGE.

b Con. Il. Emerit. c. 5.

c Ibid. c. 17.

d Can. 19.

IESV CHRISTI AN. 667.

VITALIANI AN. 13.

CONSTANTIS AN. 26.

I. SAPORIVS TYRANNVS EVRGIT, ET CITO PERIT.

ANNO Christi sexcentesimo sexagesimo septimo, Indictione decima, *Saporius* Armeni Præfectus rebellans aduersus Imperatorem, à Rege Saracenorum auxilium petiit: ad quem etiam cum eodem tempore legatio Constantis Imperat. aduenisset, hanc que Saracenus contemnens fauisset potius Saporio; ea re indignatus Imperatoris Legatus, publice contestatus est, spreto Romanorum Imperatori Deum auxilio affuturum. Nec fefellit spes: siquidem

cum

cum paulo post Saporius Hadrianopolim adueniens, in ipso portæ transitu equum quo ferebatur flagello percussisset, saltans equus caput ipsius in partem superiorem portæ allisit, vitaque priuauit. Hæc ex Theophane.

II. CRETÆ EPISCOP. APPELLAT SEDEM APOST.

Quo eodem anno, inchoata vndecima Indictione, Ioannes Episcopus Lappæ in Creta iniustitiam passus ab Archiepiscopo Cretensi appellans ad Apostolicam Sedem, Romam venit mense Decembri: ibique in *Synodo* à Vitaliano Papa ea de causa habita, absolutus est. Patent vero ista ex literis *a* eiusdem Vitaliani ad Paulum Cretensem Archiepiscopum anno sequenti scriptis; quibus eum acriter redarguit, quod appellantem Episcopum cohibere contra canones tentasset.

a Vital. ep. 1

III. S. ILDEFONSI OBITVS.

Hoc item anno, decimo Calendas Februarij (vt habet Martyrologium Rom.) magnus ille meritis sanctus, miraculisque & scriptis clarissimus, *Ildephonsus* Toletanus Archiepiscopus ex hac vita migrauit, vbi magna cum laude Ecclesiam illam rexisset annos nouem & duos fere menses. Ita enim habet Vaticanus codex, scriptus de Episcopis Toletanis ab auctore eius temporis: vbi etiam numerantur eius lucubrationes. Sed dolemus magnopere, iniuria temporum, & grassationibus Saracenorum, tot nobilissimi ingenij monumenta, perpaucis exceptis, esse deperdita.

IESV CHRISTI AN. 668.

VITALIANI AN. 14.

CONST. POGON. AN. 1.

I. CONSTAS IMP. OCCIDITVR.

ANNO Domini sexcentesimo sexagesimo octauo, Indictione vndecima, Constans Imp. Syracusis in balneo occisus est, anno Imperij vigesimo septimo, vt Theophanes habet: quem tamen Indictione duodecima necatum esse, Anastasius *a* Bibliothecarius & Paulus diaconus tradunt; ipseque Anastasius diem notat decimamquintam mensis Iulij. Ceterum cũ Acta Synodalia Sexti Oecumenici Concilij (quibus haud dubium maior fides adhibenda est) mense Nouembris Indictionis nonæ, numerent Constantini annum decimumtertium; omnino dicendum est, cum hac Indictione vndecima patri successisse.

a Anast. in Vital.
b Paul. diac. lib. 5. c. 11.

II. CONSTANTINVS POGON. IMPERAT.

Occiso igitur Constante, rebelles *Metium* quemdam, siue *Mezentium* Armenum Imperatorem crearunt. Quo audito, CONSTANTINVS Constantis filius in Siciliam venit, tyrannumque occidit, vna cum iis qui aduersus patrem coniurauerant. Quæ plurimus narrant Annales Græcorum. Suppetias autem ministrasse Vitalianum Pontificem Constantino Catholico Imperatori aduersus tyrannos, idem Augustus in literis postea ad Donum Papam scriptis professus est. Qui quidem bene dispositis rebus Occidentalis Imperij, regressus est Constantinopolim, fratribusque *Tiberio* & *Heraclio* in collegas allectis, vna cum eis imperauit. Fuit (vt dictum est) Catholicæ religionis professor; idemque ob barbam dictus *Pogonatus*, quod scilicet Constantinopoli soluens tenera adhuc lanugine, è Sicilia promissam barbam (vt Zonaras ait) retulisset.

III. THEODORVS TARSENS. ORDINATVR EPISC. IN ANGLIA.

Hoc eodem anno Vitalianus Romanus Pontifex in Angliam sacrorum ministrorum inopia laborantem, misit *Theodorum* Tarsensem Cilicem, opere & sermone potentem, moribus probatissimum, ac diuina & humana literatura Græce & Latine excultissimum: de cuius in Episcopum Dorouernensem ordinatione Romæ hoc anno facta, & honorifico in Angliam anno sequenti aduentu, vna cum Hadriano Abbate Afro, æque doctissimo, & monasterialibus simul atque Ecclesiasticis disciplinis instructissimo, (quem cum Episcopum primo Vitalianus ordinare voluisset, ipso onus recusante, & in Theodorum reiiciente, nihilominus Pontifex cooperatorem eidem Theodoro dedit:) sed & de magnis in ea Insula ab iisdem sanctissimis viris factis progressibus in docenda fide Catholica, ordinandis titulis Ecclesiasticis, informandis moribus, tradendis omnimodis scientiis ac disciplinis, introducendis cantibus Ecclesiasticis: de his inquam, omnibus agit pluribus Beda *c*; asserens Theodorum primum fuisse, cui omnis Anglorum Ecclesia manus dare consenserit; neque vnquam florentiorem fuisse Angliam quam sub eius regimine. de quo rursum agetur inferius.

c Bed. lib. 4. c. 1. & 2. ap. Baron. hoc an. & seq. FLORENTISS. ECCLESIA ANGLIC.

IV. EBROINVS FIT MONACH.

Hoc item anno Clotarius maior natu Francorum Rex mortuus est: quatuor namque eum regnasse annos, auctor Appendicis ad Gregorium Turonensem affirmat, & alij cõsentiunt. Successerunt in Regnum fratres Theodoricus & Childericus: sed illo redacto in ordinem, Childericus tenuit annos tres; de quo dicetur inferius. Hunc autem tradunt coegisse Ebroinum Maiorem domus regiæ, fieri monachum in Luxoviensi cœnobio, quod fauisset Theodorico: idque & in Actis S. Philiberti Abbatis expressum habetur. Verum sponte ipsum secessisse, metu tamen Childerici, rerum spectator Visinus tradit in Rebus *d* gestis S. Leodegarij Episcopi Augustodunensis & martyris: qui à Childerico domui suæ præpositus, & ipse inuitorum maleuolentiam deuitans, relicta Curia se in idem monasterium Luxouiense contulit, vbi vsque ad obitum Childerici mansit, ac postea iterum Episcopatum suum repetiit, & tandem martyr occubuit; vt dicetur suo loco.

d Ap. Sur. 2. Oct. S. LEODEGARII SECESSVS.

IESV CHRISTI AN. 669.

ADEODATI AN. 1.

CONST. POGON. AN. 2.

I. VITALIANI PP. OBITVS.

ANNO Domini sexcentesimo sexagesimo nono, Indictione duodecima, sexto Calendarum Februarij, *Vitalianus* Papa, vbi sedisset annos tredecim, menses quinque, minus diebus quatuor, ex hac vita migrauit; sepultusque est apud S. Petrum: cuius probitas ita refulsit, vt inter Sanctos Pontifices adscriptus fuerit Ecclesiasticis Tabulis; licet eiusdem scripta & acta maxima ex parte calamitate temporis deperierint. Ceterum ab eo datum tradunt Episcopum primum Ferrariensibus, vel (vt Rubeo *a* placet) Vicoabentiæ Episcopatum Ferrariam translatum: datusque est primus Episcopus Marinus nomine.

a Rub. lib. 4. Hist. Rauen.

II. MAVRI EPISC. RAVEN. CONTVMACIA.

Prodit insuper idem Rubeus ex Rauennatis Ecclesiæ monumentis, à Vitaliano Papa excommunicatum fuisse Maurum tunc Episcopum Rauennatem, quod ab ipso Romam vocatus causam dicturus, adesse contempserit. Qui quidem Exarchi fretus potentia & amicitia, eo vesaniæ progressus est, vt in Vitalianum eandem anathematis sententiam reciprocaret. Eo vero portentoso facinore perculsi omnes Italiæ Episcopi, vna cum Vitaliano coeuntes, eundem Maurum vt indignum penitus sacerdotio exuerunt. At ille in furore suo persistens, etiam in ipso sui transitu contestatus est omnes Rauẽnatis Ecclesiæ clericos, ne vnquam subiicerent se Romano Pontifici: qua de re ab omni prorsus Ecclesiastica communione, suffragiis scilicet pro defunctis exhiberi solitis, & commemoratione è sacris Diptychis interdictus est à successore Vitaliani Adeodato. In ejus autem locum subrogatus Reparatus, cum & ipse refractarius laborasset perficere per Imperatoris rescriptum, ne Ecclesia illa subiaceret Romanæ; in fine tamen vitæ facti pœnitens obiisse dicitur *b*. Huic vero demum successit Theodorus, Ecclesiæ Romanæ obsequentissimus, qui & interfuisse reperitur Synodo Romanæ sub Agathone: immo & non ob aliam causam venisse tunc Romam, nisi vt se Pontifici subiiceret, testatur Anastasius in Agathone. Atque hactenus de Episcopis Rauennatibus; quæ simul strinximus *c* occasione Vitaliani Maurum corripientis.

b Anast. in Dono Pap.

c Vid. infr. an. 708. 11.

III. ADEODATVS PP. CREATVR.

Cum autem (vt tradit Anastasius) post obitum Vitaliani sedes vacasset menses duos & dies tredecim, in eius locum ex monacho subrogatus est die nona mensis Aprilis ADEODATVS, patria Romanus, patre Iouiniano, gratissimus omnibus, & in omnes munificentissimus.

IV.

Sub hoc Romano Pontifice, vbi Constantinopolim profectus est Constantinus Imperator, inuasam fuisse Siciliam